31652/B

BIBLIOTHECAE
OPHTHALMICAE

SPECIMEN PRIMVM

ERUDITORUM EXAMINI SUBIICIT

IO. HENR. IO. FRID. F. IUGLER.



— ὁ δὲ χρόνος ταῦτα ἐνισχύει πάντα, ὡς τραφῆναι τελέως.

HIPPOCR. Leg.

Hamburg. 1783.

Impr. apud Ioan. Phil. Chriſt. Reuſs.

317310

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

PROOEMIUM.

Qui me noſtis, Fautores, Amici, non mirabimini, cur id potiſſimum thema ſcribendi elegerim, quod plane totum eſt in congerendis, quae de morbis oculorum apud veteres lateant. Non difficile quidem fuiſſet, ex tot aliorum morborum atque ſymptomatum generibus invenire unum aliquod, de cuius natura et indole aut curatione, et amicorum bibliothecis, et publicis librorum theſauris bene adiuto, ante me quoque omnibus nota iterum congerere licuiſſet. Hinc adeo mens initio fuit, de uteri et partium genitalium muliebrium morbis quibusdam ea, quae viri docti paſſim obſervaſſent, colligendi. Nam uterum quis non novit, τὴν δεινὸν ἄλγος τῶν ἐν γυναικὶ μόχθων μυρίων παραιτίην *(a), ſexus totius elegantioris ſaevum tyrannum, crudeliſſimo feminas imperio prementem? Qui, dum tanquam*

(a) DEMOCRIT. de nat. hom. ad HIPPOCRAT. epiſt.

pilas habet easdem, ut ad nutum ſuum miſeras vexent viciſſim

„Inſomnia, aerumna, terror, error, fuga,
„Ineptia, ſtultitia que adeo, & temeritas,
„Incogitantia, excors immodeſtia,
„Petulantia, cupiditas & malevolentia,
„—— deſidia, iniuria,
„—— contumelia & diſpendium,
„Multiloquium, pauciloquium,"
PLAVT.

conſtans omnium fere morborum comes evadit aut concitator, Medicorum terror, rixarum, litium, iurgiorum auctor pertinaciſſimus, omnes religionis bonae que rationis leges malitioſe irridet, iucundiſſimae amicitiae nodos ἀλογίςως diſrumpit, arctiſſima propinquitatis & affinitatis vincula temere dirimit, coniuges a coniugibus inconſulte ſeiungit. Sed deterruit me, quod, in praxi medica tiro, propriis dignis que ſatis obſervationibus deſtituebar. Nam quid opus nota noſcere? Et

„—— qui in ſcenam provenit
„Novo modo, novum aliquod inventum afferre addecet;
„Si id facere nequeat, det locum illi, qui queat."
PLAVT.

Neque

Neque ſatis arridebant ſcholarum argumenta ſubtiliſſima, ut vocant, theoretica, & tot, quas viri illuſtres in artis medicae κύκλον introduxerunt, hypotheſes ingenioſiſſimae, ſpecioſiſſimae; aranearum ſaepius tela, illecebrae et laquei tironum — Aſt

„noli verberare lapidem, ne perdas manum!"
PLAVT.

Culpa certe in me eſt, non in doctrinis iucundiſſimis, utiliſſimisque. Interim, ut cum COMICO loquar,

„non omnes poſſunt olere unguenta exotica."

Fit enim male, quod non lubenter fit.

Erat tamen aliquid ſcribendum, ne per longum tempus, quo apud Patrem, triſtiſſimo oculorum morbo a pluribus inde menſibus laborantem, moratus ſum, plane nihil egiſſe viderer. Itaque Genio lubenter indulſi, qui ubique fere in iucundiſſimum me abripit ſtudium hiſtoriae litterariae, cuius amorem primis iam corpuſculi ſtaminibus a Patre, litterarum amantiſſimo, inſitum accepi. Ex cuius ergo ſcientiae vaſtiſſimo ambitu eam praeſertim partem paulo attentius perſcrutandam mihi propoſui, quae, a primis inde artis medicae initiis ad haecce uſque tempora, medicinae oculariae fata atque augmenta complectatur, cum doctrinae hu-

ius praeſtantiſſimae hiſtoria oblivione adhuc ſepulta paene iacuerit.

Sed indigna quoque ſorte neglecta fere iacet, ut paſſim negligitur, hiſtoriae litterariae methodus, quam ſyntheticam vocant. Equidem non diffiteor, aliquanto breviore curſu, ſi analyticam ſequamur, ad ſcopum nos pervenire, atque multorum inde et moleſtiſſimorum laborum compendium lucrari poſſe. Infinite tamen ſemper placuit, qui illuſtri HALLERO *mos erat, protinus, ubi argumentum aliquod in Opere ſuo Phyſiologico maiore finiverat, ſubiungere de hac ipſa materia ſententias ac dogmata tam veterum, quam recentiorum. Quo enim arctius cum doctrinae alicuius praeceptis hiſtoria ipſius connectitur, eo magis animo imprimi eandem, eo que maius inde emolumentum capi poſſe, adparet. Etenim, ut ita loqui fas ſit, qui ſtatim per ſingula capita praeceptis ſcientiae alicuius litterariam dogmatum hiſtoriam ſubiicit, ipſam doctrinae hiſtoriam tractat, dum is, qui per ſaecula et annos, ab Adami inde temporibus ad noſtram uſque aetatem, ſingula virorum nomina, vitas, atque libros recenſet, non hiſtoriam ſuae artis, ſed generalem modo indicem hiſtoricum tradit.*

Melius

Melius me igitur de hiſtoria medicinae oculariae litteraria meriturum eſſe putavi, ſi virorum doctiſſimorum, primo veterum, dein recentiorum, volumina ſedulo pervolverem, atque initia et augmenta artis, et quod quisque novi addidiſſet, inde eruerem, ſecuturus ſimul ordinem et rerum et temporum. Id quidem alio quodam libello perſequar: iam vero, ne et ego contra analyticam hiſtoriae litterariae methodum plane neglexiſſe arguar, et vt ad ipſum hocce argumentum certum mihi aditum muniam, antea de Auctoribus erit conveniendum, quorum auctoritate, quae ad rem illam faciunt, omnia continentur. Quo conſilio nunc ea, quae de medicinae oculariae initiis variisque fatis generalioribus, praeſertim de Medicis huius artis cultura conſpicuis, uſque ad Q. Serenum Sammonicum *invenire licuit, hic praemittenda eſſe cenſui. Horum tamen caeteras laudes, quas in aliis etiam ſcientiae medicae partibus meruerint, lubenter omiſi, neque vitas eorum attigi, niſi ubi alios viros doctiſſimos aperte erraſſe vidiſſem.*

En igitur primitias et ſpecimen aliquod laborum meorum! Quodſi ingenium meum et modus, quo id opus adgreſſus ſum, peritioribus rei gravitate non indigna viſa fuerint, pergam fontes ſcru-

tari, colligere auctores atque libros, et omnes, quas futuris aliquando officiis meis ſubtrahere potero, horas in hunc laborem impendere. Quem vero ſi dedignentur iudices aequi, alte cadere non poſſum, quippe qui ſpecimen modo laboris ipſis obtuleram, lubenter tunc animoque tranquillo deceſſurus de ſcena.

—— ſi quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti: ſi non, his utere mecum.

HORAT. in Epiſt.

Bibliothecae ophthalmicae

Sectio prior.

A rerum initio,

uſque ad

Quintum Serenum Sammonicum.

§. 1.

Origo artis incerta.

Quum in tanta, quae in artis medicae initia inquirenti ſe ubique opponit, fabularum ſegete plane ſit nihil, quam ob rem diutius hic morer, et praeterea tum in eruendo, ſi quid veri hiſce fabulis ineſt, tum in novis fabulis atque hypotheſibus inveniendis vario hic modo ludere cum ingeniis

praeſtantiſſimis neque temporis, neque ipſius libelli fines anguſti, permittant, quid eſt, quod in hac immenſa dicendi materia breviorem eſſe vetet? Sit ergo, ſi forte quis ſit, cui ſimpliciſſima iſta litterarum origo arrideat, ADAMO, ZOROASTRI, HERMETI, MOSI, caeteris que, univerſalis omnium, cuique ſua, ſcientiarum prudentia, id quod per me quidem facile licet. Pauca tamen indicabo, quae ſponte mihi occurrerunt, ne ſicco penitus pede hanc rem tranſiiſſe vitio forte quis mihi det, atque culpae; ingratiſſimus enim labor eſt, haſce nugas (ſit, precor, venia verbo) anxie et de induſtria quaſi examinare; labor, qui nihil confert ad inveniendum verum, quia indiciis, quae ſufficiant, atque argumentis temporum iniuria ſumus deſtituti.

Vana Auguſtini aetate erat vulgi opinio, quam et ipſe vir ſanctus refellit, primos generis humani parentes, quamdiu in Paradiſo vitam beatiſſimam vixiſſent, viſu fuiſſe orbatos, quia MOSES poſt primum iſtud funeſtum atque calamitoſum peccatum oculos ipſorum apertos eſſe dicat. (a) En lepidum, adeoque novum tandem diſſertatiunculae quondam argumentum, "de "primo medico oculario, Serpente!" WOOLHOUSIUS forte haec ſi noſſet, antiquiſſimam inde artis

(a) Vid. VNZERS *Arzt*, Part. VI. pag. 654. Conſului AVGVSTINVM, ſed, cum me taederet laboris, praeter in lib. II. *de Geneſi contra Manich.* (in opp. ed. Froben. Tom. I. p. 807.) et libr. XVI. *de Geneſi ad litteram*, (ibid. Tom. III. p. 667.) nihil inveni.

artis ſuae praeſtantiam derivare non dubitaſſet, quippe qui glorioſius (ut boni viri mos erat,) et ſpecioſiſſimis verbis nititur (*b*) Tobia, iuniore, ipſius Raphaëlis, Archangeli, diſcipulo, et coeco a Deo Servatore ſanato, nulla quidem neceſſitate urgente, cum ipſa hodie ars unice ſibi ſit teſtis.

HYGINVS (c) porro, quantum ego quidem novi, princeps eſt, qui APOLLINEM artem ocu-lariam medicinam primum feciſſe dicat. Qui-bus hic ſubiungam iudicium celeb. LE CLERC, qui in hiſtoria medicinae: „Hyginus, inquit, "y entend bien plus de fineſſe, lorsqu'il dit qu'A-"pollon a eté le premier medicin oculiſte, fai-"ſant alluſion à la clarté du ſoleil, et à ce, que "les poetes appellent oeuil du monde."

CHIRONEM, Centaurum, oculos Phoenicis ſanaſſe, lego apud APOLLODORVM (*d*). Phoenix enim, Amyntoris filius, cum ſtupri eum Clytia, patris concubina, inſimulaſſet, a patre irato oculorum fuit luce privatus. Quo facto ad Peleum confugit. Peleus autem ipſe ad Chi-ronem eum deduxit, a quo ſanatus etiam, atque Dolopum regem et magiſtrum fecit Achillis filii, quem deinde ad Troiam ſecutus eſt. — Fa-bula recentioris aevi videtur. HOMERVS nempe, eandem caeterum, licet paulo aliter, hiſtoriam nar-

(*b*) Vid. WOOLHOVSE de Catar. et Glaucom. ed. lat. Chphi *le Cerf*. Francof. 1719. 8. p. 310. ſſ.
(*c*) Fab. 274.
(*d*) *Bibliothec.* lib. III. edit. Salmur. 1661. p. 236. Cf. PROPERT. Eleg. II. 1.

narrans, (*e*) de excoecato tamen Phoenice, aut Chironis manu ſanato, ne verbum quidem dicit.

Ita fabulis quoque annumeranda puto, quae de capra antiquitus memorabantur ſuffuſione laborante, et dum in iuncos aculeatos incidens viſum recepiſſet, cryſtallinae dein lentis depreſſioni occaſionem praebente (*f*). — Huc PLINII etiam locus aliquis pertinet, qui chelidoniam viſui ſaluberrimam hirundines monſtraſſe dicit, (*g*) pullorum oculis illa medentes. — Sed miſſis hiſce fabulis, unde nihil umquam luminis hiſtoriae noſtrae affulgebit, ad certiora progrediamur.

§. 2.

Aegyptii.

Itaque, cum nec de antediluviana eruditione, viris quondam doctiſſimis mire celebrata, nec de fictitiis Mythologorum commentis ſatis certi ſimus, ab Aegyptiis, gente, ut tunc res erant,

(*e*) Iliad. IX. 430. ff.

(*f*) GALEN. *Introd. ſive Medic.* (in init.) AELIAN. de animal. lib. VII. cap 14. Cf. PLIN. *hiſt. nat.* lib. VIII. cap. 50. et GEOPONICOR. lib. XVIII. cap. 18. (ed. NICLAS. p. 1198.) Rei tamen veritatem defendere video Duumviros Doctrina et meritis illuſtres TRILLERVM nempe (in Opuſc. med. Vol. I. pag. 490. ff) atque NICLASIVM (in nota ad GEOPONIC. *loc. cit.*) quorum huius quidem, Praeceptoris quondam mei, atque Fautoris, nomen dulciſſimum piiſſima ſemper mente veneror.

(*g*) *Hiſt. nat.* lib. 8. cap. 27.

erant, ſapientiſſima, quae & Graecorum deinde doctrinam reddidit cultiorem, artis ocularíae origines recte petendas eſſe cenſeo, quoniam de his demum graviſſimum teſtem habemus HERODOTUM, cuius ipſa mox verba proferam. Plura ſine dubio de gentis illius ſapientia in ſuperſtitioſa eiusdem religione, Deorum que numero fabuloſo, ſunt abdita, quae tamen res viros doctiſſimos adhuc fruſtra exercuit, dum lingua Aegyptiorum ſancta, Hieroglyphicam vocant, in tenebris latet. Referunt Aegyptii medicinae originem ad primos reges, ſive Deos terreſtres, qui poſt coeleſtes in Aegypto regnaviſſe dicuntur: regnari autem ibi coeptum eſt non diu poſt diluuium. (h) Poſtea novis quoque fabulis addendis & hic luſum eſt, cum exempli cauſa HERMETI TRISMEGISTO, quem Moſis & Cecropis aetate LAMBECIUS vixiſſe adſerit, adſcriberent librum unum *περὶ ὀφθαλμῶν*, quem ipſe vero LAMBECIVS (*i*), ut alios taceam ſuppoſititium fuiſſe oſtendit.

Sed haec hactenus. Id ſaltim certum eſt, apud Aegyptios olim ſingularum corporis humani partium morbis ſingulos quoque praefuiſſe medicos. Ita enim HERODOTVS, "*ἡ δε ἰητρικη*, inquit (k), *κατα ταδε σφι δεδαςαι. μιης*

„*νουσου*

(h) Cf. PETR. GERICKE *de ſcholis & inſtitutis medicis, in Aegypto & Graecia ante Hippocratis tempora*, Comment. I. pag. 4 & 13.

(*i*) *Prodrom. hiſt. litter.* p. 137. Cf. FABRICII *Biblioth. Gr.* lib. I. cap. XI. 5.

(*k*) *Hiſtor.* lib. II. edit. Hanov. ap. Wechel. p. 120.

*„νουσου ἕκαστος ἰητρος ἐστὶ, και οὐ πλεονων. παντα δ'
„ἰητρων ἐστι πλέα. ὁι μεν γαρ ὀφθαλμων ἰητροι
„καταστέασι, ὁι δε κεφαλης, ὁι δε ὀδοντων, ὁι δε
„τῶν κατα νηδυν, ὁι δε των ἀφανεων νουσων."*

Neque enim tunc temporis apud alias, quam Aegyptios, gentes hic mos obtinuiſſe videtur, ut ſingulis morbis ſinguli praeficerentur medici. Hippocratis certe aetate talem harum partium ſeparationem inter Graecos nondum uſitatam fuiſſe, inde colligas, quod in omnibus vel ipſius Coi vel Hippocraticis libellis ne occurrat verbum quidem, unde tale quid ſuſpicari quidem liceat. Huc quoque CICERONIS aliqua (*l*) pertinent, quae haec ſunt: „An tu exiſtimas, cum eſſet Hippocrates ille Cous, fuiſſe tunc alios medicos, qui „morbis, alios, qui vulneribus, alios, qui oculis mederentur?" &c. Qui tamen mos antiquus apud recentiores etiam Aegypti incolas, ſuperiore quidem ſaeculo, viguit, PROSPERO teſte ALPINO (*m*). Fama quoque et laude, non inter Aegyptios tantum, ſed apud exteras adeo gentes, celebratos olim fuiſſe medicos hoſce ocularios, ex HERODOTO (*n*) adparet; Cyrus nempe, (ut ibi narratur) ad regem Aegyptiorum Amaſin nuntios miſit, ocularium ab eo medicum efflagitans optimum quidem, atque periſſimum in omni Aegypto. Quem et ex caeteris elegit Amaſis, et miſit Cyro. Hicce autem medicus, (nomen viri male periit) indignabundus,

(*l*) *de Orat.* III. 33.
(*m*) *Med. Aegypt.* lib. I. cap. 9.
(*n*) *Hiſtor.* lib. III. init. ed. cit. pag. 161. ſſ.

dus, quod, terra quaſi patria pulſus, a complexu ſuorum ita diſtraheretur, hanc aliquando iniuriam quocunque modo ultum ire decrevit, atque data deinceps occaſione auctor fuit belli inter Cambyſen, Cyri filium, et Amaſin, ex quo victi tandem diſceſſerunt Aegyptii.

WOOLHOUSE, (*o*) ut ea, quae de medicis Aegyptiorum oculariis Herodotus, teſtis graviſſimus, refert, et alio quopiam ſuffulciat argumento, ita fere loquitur: „Galenus quoque „inter alia ſua remedia ophthalmica citat collyria „Aegyptiorum, quae Aegyptiaca vocat.“ Contra quod argumentum ſatis infirmum pauca hic monere liceat. Unicum tantummodo collyrium ex ASCLEPIADE ſervavit nobis GALENVS, (*p*) *Achariſton* vocatum, cuius ſolius uſu medicos Aegyptios feliciter medicari adſerit. Alias praeterea duas ophthalmicas compoſitiones Aegyptias ex Eodem habet ASCLEPIADE, (*q*) alteram ad *callos*, *albugines et pelliculas oculorum*, alteram ad *albugines*, *callos et inveteratas affectiones*. Quas Aegyptias quidem vocat, attamen easdem eſſe Aegyptiorum, adſeverare temere non auſim. Nimis enim lubrica res eſt. Videntur alii quoque ſaepius medici compoſitiones ſuas vocaſſe *Aegyptias*, quales forte ſunt (*r*) ANDROMACHI et alia CLAVDII PHILOXENI. (*ſ*) Licet

(*o*) libr. ſupra cit. pag. 301.
(*p*) GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7.
(*q*) GALEN. *ibid.*
(*r*) GALEN. *comp. ſec. gen.* lib. III. cap. 11. ex ASCLEPIADE, et lib. VI. cap. 7.
(*ſ*) GALEN. *ibid.* lib. III. cap. 11.

Licet porro ſuſpicari, quosdam medicamentis ſuis praefixiſſe Deorum Aegyptiorum nomina, ſicuti Graeci quidam illuſtrium virorum nomina iisdem praefigere ſolebant (*t*). Quorum in numerum neſcio an iure referam collyrium quoddam, *Phanion* (*u*) *Serapiacum* inſcriptum, et certum *emplaſtrum*, *Serapionis* dictum, quod nonnulli *Aegyptium*, alii *Venerem* vocabant, (*v*) etc. Ita et alia quaedam medicamenta *Iſidis* nomine erant inſignita, quorum unum quidem, vel Epigoni vel Hermonis, ἱερογραμματέως, quod emplaſtrum (*w*) erat fronti impoſitum fluxiones oculorum ſiſtens, ex adytis templi Vulcani in Aegypto eſſe putabatur. Simili etiam modo medicamenta invenies, *Athene*, ſive Minerva, vocata (*x*). Sponte igitur et conſulto omnem hancce materiam, et quae forte cogi inde poſſint argumenta, intacta manu relinquo, ne coniecturae nimis ſubtiles, atque irritae adeo, in multiplices me errores praecipitent. Facillime enim accidit, ut in hypotheſibus excogitandis, praeſertim in rebus tam minutis, procul a vero aberres.

Iam

(*t*) Cf. Halleri *bibl. chirurg.* Tom. I. pag. 15. le Clerc *Hiſt med.* Part. I. lib. I. cap. 6.

(*u*) GALEN. *comp ſec loc.* lib. IV. cap. 7.

(*v*) GALEN. *comp. ſec. gen.* lib. VI. cap. 5. ex Critone.

(*w*) GALEN. *comp. ſec. gen.* lib. V. cap. I. ex Hera, et lib. IV. cap. 11. ex Asclepiade.

(*x*) ID. *ibid.* lib. III. et lib. VI.

Iam ad aliam tamen ratiunculam, quam huic ipſi rei, de qua inter omnes iam dudum quidem convenit, idem WOOLHOVSIVS ſubiicit, me convertam. In hiſtoricis enim argumentis et quemlibet virum audiendum, et, ſi quid falſi rationibus eius ineſſe animadvertas, nemini parcendum eſſe arbitror. Itaque verbis quae paulo ſupra a me recitata fuere, ſtatim alia haecce ſubiungit IDEM, (*y*) ſequentem in modum pergens: „Sacri codices, ni fallor, hanc veritatem „hiſtoricam *Deuteronom. XXXIV.* verſu 7. inſinuant„ Ego quidem avide ſanctum adaperui librum, legi et relegi atque adſtupui locum indicatum, iratus que tandem ingenio meo, quod ſenſi, quam hic eſſet exiguum, Viros adii, qui Hebraice luculenter ſcirent, obſecrans, ne, ſi quid forte ἐμφατικώτερον ibi dictum eſſet, benevole mihi indicare dedignarentur. Quorum unus tandem, non reperiri quidem ibi, quae ego quaererem, reſpondit: at facillime tamen poſſe intelligi, quo fere modo in tale quid incidere potuerit WOOLHOVSIVS. Nempe narratur ibi, Moſen, cum annos haberet centum et viginti, ſupremum obiiſſe diem, neque tamen propter ſenectutem vel oculos ipſi caligaſſe, vel defeciſſe vires; id quod in tanta quidem ſenectute tam inauditum quid eſſe ſolet, ut nata inde Viro doctiſſimo videatur ſuſpicio, Moſen, quem omnis eruditionis myſteria ab Aegyptiis didiciſſe ſatis fabuloſe quidam narrarunt, vel ipſum

(*y*) libr. et pag. cit.

ipſum adeo medicum fuiſſe ocularium, vel uſum ſaltem ophthalmicis Aegyptiorum remediis. Miror ſane divinum optimi viri ingenium. Neque ſerio tamen rem ludicram refellere conabor, quae ieiuna quidem atque exilis foret diſputatio, neque tacitus contra totam rem praeterire debui.

§. 3.

Templum Minervae Ophthalmitidis.

Sed iucundius nunc argumentum adgredior. Lacedaemone nempe in vico Alpio Minervae Ophthalmitidis templum Lycurgus exſtruxit. Age vero ipſum audiamus PAUSANIAM, cuius verba, (z) cum graeca editio ad manus non ſit, latine quidem ſequentem in modum ſe habent: „MINERVAE eſt OPHTHALMITIDIS aedes, „dedicatam a *Lycurgo* ferunt. Nam cum alte„rum ei oculum excuſſiſſet *Alcander*, cui ab illo „latae leges minime placebant, in hunc vicum „(Alpium) confugit, ubi Lacedaemoniorum con„curſu ſervatus, quo minus et alterum oculum „perderet, Ophthalmitidi Minervae templum „fecit.„ Haec ille. Paullo tamen aliter eandem caeterum rem a PLUTARCHO narratam invenias, quippe qui ita loquitur: (*aa*) „τȣ̃ δε πά„θους ὑπόμνημα λυκȣ̃ργος ἱδρύσατο, τῆς Ἀθη„νᾶς ἱερὸν, ἥν Ὀπτιλέτιν προσηγόρευσε. τοὺς γὰρ „ὀφθαλμοὺς ὀπτιλέτους οἱ τῃδε Δωριεῖς καλȣ̃σιν.

ἔνιοι

(z) *Laconic.*
(*aa*) *in vita* LYCVRGI.

„ἔνιοι μέντοι τὸν λυκοῦργον πληγῆναι μὲν φασὶν, ȣ̓
„τυφλωθῆναι δὲ τὸν ὀφθαλμὸν, ἀλλὰ καὶ τὸ ἱερὸν
„τῇ θεῷ τῆς ἀκέσεως χαριϛήριον ἱδρύσασθαι.“

Quod praeclarum Lycurgi factum, ex alio licet conſilio natum, egregie forſitan in Graecia medicinae oculariae initiis anſam praebuiſſe, aut incrementa praeſtantiſſimae artis adiuvaſſe ſuſpicarer, ſi unum modo in hocce Minervae Ophthalmitidis templo incubationis exemplum apud auctores reperiretur, quod nunc tamen, cum fruſtra quaeri putem, ſuſpicari vix auſim.

§. 4.
Orpheus. Tobias.

Sed de antiquiſſimo illo apud veteres ritu, exponendi aegrotos, mox plura erunt dicenda, ſimulatque ORPHEI loca quaedam (*bb*), huc pertinentia, indicavero, atque de TOBIA fuero locutus, cuius hic quidem intexere hiſtoriam ab inſtituto non alienum eſſe videtur. Neque enim in re notiſſima diu verſabor, cum tota haecce in apocryphis, quos vocant, ſacrae ſcripturae libris narratiuncula exſtet. Huius nimirum loci non eſt, inquirere, quisnam fuerit iſte *Tobiae* morbus, quem, inuncto piſcis cuiusdam felle, optime filius ſanaverit, in quo quidem negotio MAUCHARTUS occupatus fuit (*cc*), cuius

(*bb*) *In Lithicis*, nro. 9. (edit. *Gesner*. pag. 316.) nro. 11. (pag. 331.) et nro. 18. (pag. 346.)

(*cc*) Diſſ. *de Leucomatibus Tobiae.* Tubing. 1743. 4. recuſ. in HALLERI *diſſertat. chirurg.* —— Cf. WOOLHOVSE libr. cit. pag. 311. lin. 6.

cuius ſententiae repetendae alius forte alio tempore locus congruet. Nec de angelo, aut remedii e piſcis cuiusdam felle deſumti, vi prodigioſa diſputandum hic érit. Quod ſi huic enim rei miraculi quid ſubeſt, id omne in patris coeci curatione inſperata, et repentina adeo, poſitum eſſe, totam que ergo iſtam hiſtoriam cum alia coeci alicuius ſanatione vere prodigioſa (*dd*) nullo comparari modo poſſe, adparet. At in hiſce tamen partes ſuas tueantur Theologi: „ἐγὼ μὲν „ἐφ' οἷς μὴ φρονῶ, σιγᾶν φιλῶ." Id vero paucis hic indicare liceat, quod, ſi hiſtoriam iſtam certo atque perſpicue veram eſſe conſtaret, non tunc male quidem ſuſpicaretur, qui ab eo ipſo inde tempore fellis piſcium quorundam uſum inter remedia ocularia celebrari coepiſſe contenderet, qualis etiam eſt BOERNERI (*ee*) ſententia. Verum enim vero cum multa ſuper illa re vexent me dubia, nec pauca in omni narratiuncula fabulae veſtigia MAUCHARTUS invenerit (*ff*), de meo aliquid hic addere, in ancipite coniectura, non audeo.

§. 5.

Aegrotorum in templis incubatio.

Itaque nunc redeo ad Graecos, ſimul quoque Romanos ſalutaturus, quippe apud quas gentes prae-

(*dd*) *Evangel*, JOHANN. IX. 6. ſeqq.

(*ee*) Diſſ *de ſtatu medicinae apud veteres Ebraeos*, pag 72

(*ff*) *Diſſ. cit.* Conf. HAMBERGERS *zuverläſſige Nachrichten* &c. Tom. I. pag. 82.

praecipue, ab antiquiſſimis inde temporibus ad ſexti uſque ſaeculi initium (*gg*), celeberrimus ille viguit ritus, in templa Deorum exponendi aegrotos. Qua quidem de re optime cum egerint Hermannus CONRING (*hh*), *Adamus* BRENDEL (*ii*), et nuper *Car. Frid.* HUNDERTMARK (*kk*), quorum hic ſcrinia ſpoliare mihi religio eſt, id ſolum a nobis conſiderandum hic eſſe cenſeo, quales inde ocularia medicina progreſſus habuerit, omiſſis, quae ad incubationis ritum proprie et generatim tantummodo ſpectant. Ut enim ars medica univerſa, ita ſingula quoque eiusdem pars illa, quae in oculorum morbis ſanandis occupatur, maxima inde cepit profecto incrementa. Initio nempe, cum nondum Medici eſſent, ars medica omnis (qualis tunc quidem erat, empirica) fuit apud Sacerdotes, qui, dum vel magnam religioni ſuae gloriam addere vellent, vel hominum credulitate ob aliquod emolumentum ſuum abuterentur, ea, quae diuturno in re medica uſu didicerant, (qualiscunque iſta eorum tunc fuerit ſcientia) tamquam ſecreta Deorum immortalium conſilia venditabant aegrotis. En ignobile ſatis praeſtantiſſimae

 artis

(*gg*) CONRINGII diſſ. ſubinde citanda, § 26.

(*hh*) Diſſ *de Incubatione*, reſp. *Henr.* MEIBOM. Helmſtad. 1659 4to

(*ii*) Diſſ. graeca, ἐν ᾗ τὰ περὶ τὴν ἐγκοίμησιν &c. reſp. *Jo. Chr* HUTH, Vitemb 1701 4to.

(*kk*) Diſſ. *de artis Medicae, per aegrotorum apud Veteres in vias publicas et templa expoſitionem. incrementis.* Lipſ. 1739. 4to. —— *Edit. altera*, ibid. 1749. 4to.

artis exordium, cuius nulla quidem tunc erant praecepta neque temporum, neque medicamentorum, ita, ut omnium vetularum noſtrarum genus e ſtirpe ſacerdotum illorum generatum eſſe, non male iuraveris. At inter innumerabilia tamen, quae forte quotidie ita in templis inſtituebantur, experimenta facile adparet et rem medicam mire, licet ſenſim atque pedetentim, creviſſe, et morborum naturam et characteres melius in dies definiri coepiſſe atque diſtingui. Sed exiguum tempus erat, quo tam mirabilem arti medendi utilitatem haecce conſuetudo praebuit. Mox enim, cum viri ſurgerent, qui certas eiusdem artis conderent regulas, ita, ut ars empirica et incerta fieret certa tandem et rationalis ſcientia, tantorum virorum curis incredibiliter dein exornata, tunc dubia quidem et vaga iſta Sacerdotum ἐμπειρία cum toto incubationis ritu interiiſſe debebat, niſi interceſſiſſet ſuperſtitioſae religionis auctoritas. Re vera enim tunc quoque incrementi aliquid hunc ritum medicinae attuliſſe, vix crediderim. Cui ſententiae ſuffragari videtur CICERO (*ll*), quippe qui: „Qui convenit, inquit, aegros a coniectore „ſomniorum potius, quam a Medico, petere „medicinam? An Aeſculapius, an Serapis po„teſt nobis praeſcribere per ſomnium curationem „valetudinis?" &c. Quibus ex verbis adparet, eo certe tempore Sacerdotum medicinam atque incubationis adeo ritum a viris ſapientibus neglectum fuiſſe, unde ſponte quidem colligere licebit,

(*ll*) *De Divinat.* lib. II. cap. 59.

bit, Sacerdotes tunc plebis ſuperſtitioni et ſuo magis ſerviiſſe emolumento, quam medicae artis peritiae ſtuduiſſe, in qua nempe a genuinis medicis facile ſuperabantur, ita, ut nec morbi cuiusdam cognoſcendi, neque efficacium probatorum que remediorum amplius rationem haberent.

Sed cum facillime unusquisque viderit, quae de artis univerſae incrementis per incubationem a celeb. HUNDERTMARK dicta ſunt, et a me paullo ſupra breviſſime repetita, ea de illa quoque eiusdem artis parte valere, in cuius hiſtoria conſcribenda cum maxime verſari placuit: haecce quidem omnia miſſa faciam, illud iam quaerens, an et re vera oculorum morbis per incubationem ſanandis operam Sacerdotes dare conſueverint? Cuius rei certa ſane argumenta in promtu ſunt. Sic enim Plutum, coecitate laborantem, in fanum Aeſculapii deductum et ibi poſt incubationem coecitate liberatum, fingit quidem ARISTOPHANES (*mm*), indicans tamen non minus, oculorum quoque morbis affectos Deorum per ſomnia in templis auxilium imploraſſe. Sed aliis etiam, iisdem que graviſſimis, teſtimoniis rem confirmabimus. Diſertis verbis DIODORUS SICULUS (*nn*) narrat, Iſin, Deam Aegyptiorum, apud quos nempe incubationis ritus

 admodum

(*mm*) In *Pluto*, Act. II. Sc. 3. in fine; & Sc. 6. Act. III. Sc. 1 & 2.

(*nn*) *Bibl. hiſtor.* lib. I. Edit. *Laur. Rhodom.* ap. Wechel. 1604. pag. 22. B. C.

admodum etiam uſitatus fuit(*oo*), multa aegrotis per ſomnum remedia indicare, ſi qui opem ipſius expetierint, „*καὶ πολλὰς μὲν, ὑπὸ τῶν „ἰατρῶν, διὰ τὴν δυσκολίαν τȢ νοσήματος ἀπελ„πισθέντας, ὑπὸ ταύτης σώζεσθαι. συχνοὺς δὲ „παντελῶς πηρωθέντας τὰς ὁράσεις ἤτινα τῶν „ἄλλων μερῶν τȢ σώματος, ὅταν πρὸς ταύτην τὴν „θεὸν καταφεύγωσιν, εἰς τὴν προϋπάρξασαν ἀπο„καθίςασθαι τάξιν.*" IDEM alibi (*pp*) hiſtoriolam narrat ita lepidam, ut niſi temporis ratio vetaret, noſtrarum potius muliercularum mores irriſiſſe eum crederes, de Sesoſtri coeco Aegyptiorum rege, cui ſingulare quoddam et novum plane remedium oracula ſuaſere, quod, cum multarum quidem foeminarum vita redemtum, mire tamen regi profuit: verum cum non diſerte dicat, *per ſomnum* haecce Sesoſtri oracula fuiſſe aperta, dubito an impune hanc rem huc referre liceat. Aliam quandam curationem coecitatis, divino Oſiridis iuſſu in equo *Lenaei* cuiusdam aliquando adhibitam, AELIANUS (*qq*) deſcribit.

Ex tanto porro *donariorum* et *tabularum votivarum* numero, quae aegroti ex morbo refecti recuperatae ſanitatis ſigna templi parietibus, vel aliis locis, adpendebant, pauciſſima quaedam tantummodo ad noſtram pervenere aetatem. Quarum

(*oo*) CONRING de incubat. §. 17. ſeqq.
(*pp*) Loc cit. Edit. cit. pag. 54. A.
(*qq*) *Hiſt. anim.* lib. XI. cap. 31.

Quarum unam apud HUNDERTMARKIUM (*rr*) tabulam invenies, quae ſic quidem ſe habet:

AESCULAPIO
ET. HYGIAE. CE
TERISQ. HUIUSQ.
LOCI. SALUTARIB
C. JUL. FRONTO
NIANUS. VET. EX.
B. F. COS. LEG. V. M. P.
REDDITIS. SIBI. LUMI
NIBUS. GRAT. AGE. EX
VISO. PRO. SE. ET. CARTEIA
MAXIMA. CONJUG. ET. IUL.
FRONTINA. FILIA.
V. S. L. M.

Eandem, licet valde immutatam, inſcriptionem GRUTERUS (*ss*) exhibuit, quae talis fere eſt:

„*Aeſculapio et Hygiae caeterisque Diis Deabusque huiusque loci Salutaribus, caet.* ——
„*ex viſo pro Se et Capſia Maxima, caet.* —
„*V. S. L. M.*

Capitis deinde muliebris, in occipite cavati, fictilem imaginem in muſeo *Jo. Bapt.* CASALIS ſervatam, TOMASINVS aere expreſſam ſiſtit (*tt*),

 quam,

(*rr*) *Diſſ. cit.* Edit. ſecund. pag 45.
(*ss*) *Theſaur. inſcript.* (1602.) pag. LXVII. nro. 9.
(*tt*) *De donar. veter.* cap. 35. In GRAEVII *Theſ. ant. Rom.* Tom. XII. pag. 869. E. et fig. pag. 870. A.

quam, recepti viſus monumentum, mulierem oculis forte captam SALUTI adpendiſſe autumat vir doctiſſimus, cuius tamen operis ulteriorem deſcriptionem fruſtra apud eundem quaeſiveris.

Praeſtantiſſimum inſuper, et ex infinita fere donariorum multitudine unicum tantummodo, monumentum aeri peregregie inſculptum reperies apud HUNDERTMARKIUM (*uu*). Tabula haec eſt marmorea, quae in templo Aeſculapii Tiberino inventa dicitur, alta pedes II et dimidium, lata pedes II, et ſpiſſa digitos II, Romae in *Maſſeorum* olim muſeo ſervata (*vv*). Quatuor continet inſcriptiones, quarum prior quidem, Antonino imperante poſitam fuiſſe hanc tabulam, demonſtrat, quem fuiſſe Philoſophum IDEM (*xx*) contendit. Ex hiſce quatuor autem inſcriptionibus duae tantummodo rem nobis propoſitam attingunt, quas ideo ſolas huc quidem transferre lubet. Prima igitur earundem haec eſt:

„Αὐταῖς ταῖς ἡμέραις Γαΐῳ τινὶ τυφλῷ ἐχρη-„μάτισεν, ἐλθεῖν ἐπ . . . . (*yy*) ἱερὸν βῆμα, καὶ „προς-

(*uu*) *Diſſ cit* Edit. ſec. pag. 60 ex GRVTERI *Theſ. inſcr.* edit cit. pag LXXI nro. 1. Conf. TOMASINUS *de donar. Veter.* in GRAEVII *Theſ. Ant.* Tomo cit pag 783. ſeq. et *Hieron.* MERCVRIALIS *de arte gymn. Veter.* lib I. cap. 1. ex quo de ſcripſit *Herm* CONRING *diſſ. de incub.* §. 36.

(*vv*) GRUTERUS, MERCURIALIS et TOMASINUS locc. citt.

(*xx*) *Diſſ. cit.* Edit. alt pag. 64.

(*yy*) ἐπὶ τὸ hic ſcriptum fuiſſe ſuſpicatur GRUTERUS.

„προςκυνῆσαι, εἶσα (zz) ἀπὸ τȣ͂ δεξιοῦ ἐλθεῖν ἐπὶ „τὸ ἀριϛερὸν, καὶ θεῖναι τȣ̀ς πέντε δακτύλους „ἐπάνω τȣ͂ βύματος (aa), καὶ ἆραι τὴν χεῖρα, „καὶ ἐπιθεῖναι ἐπὶ τοὺς ἰδίους ὀφθαλμοὺς (bb). „καὶ ὀρθὸν ἀνέβλεψε, τοῦ δήμου παρεϛῶτος καὶ „συγχαιρομένου, ὅτι ζῶσαι ἀρεταὶ (cc) ἐγένον- „το ἐπὶ τοῦ Σεβαϛοῦ ἡμῶν Ἀντονείνου (dd).

Et en quartam huius tabulae inſcriptionem:

„Οὐαλερίῳ Ἄπρῳ, ϛρατιώτῃ τυφλῷ, ἐχρη- „μάτισεν ὁ θεὸς, ἐλθεῖν καὶ λαβεῖν αἷμα ἐξ „ἀλεκτρύονος λευκοῦ μετὰ μέλιτος, καὶ κολ- „λυρίου συντρίψαι (ee), καὶ ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας „ἐπιχρεῖσαι ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς (ff). καὶ ἀνέ- „βλεψεν καὶ ἐλήλυθεν καὶ ηὐχαρίϛησεν (gg) „δημοσίᾳ τῷ θεῷ.“

Quodſi

(zz) εἶσα] εἶτα *Hieron.* MERCURIALIS.
(aa) βύματος] βήματος GRUTER. et MERCURIAL.
(bb) ἐπὶ τοὺς ἰδίους] τοῖς ἰδίοις ὀφθαλμοῖς MERCURIAL.
(cc) ζῶσαι] τόσσαι MERCURIALIS, quem et Alii ſecuti ſunt: vid. HUNDERTMARK *diſſ. cit.* Edit. alt. pag. 62.
(dd) Ἀντονείνου] Ἀντωνίνου MERCURIAL.
(ee) κολλυρίου συντρίψαι] κολλύριον συνθεῖναι MERCURIAL.
(ff) ἐπιχρεῖσαι] ἐπιχρῖσαι MERCURIAL.
(gg) ἀνέβλεψεν, ἐλήλυθεν, ηὐχαρίϛησεν] ἀνέβλεψε, ἐλήλυθε, ηὐχαρίϛησε, MERCURIAL.

Quodſi vero de ipſa utriusque huius coeci curatione plura quis ſcire cupiat, adeat HUNDERTMARKIVM, cuius nimirum verba deſcribenda nobis forent, ſi quid amplius ea de re dicere cogeremur.

Hoc ipſo porro capite mentionem iterum faciendam eſſe putavi emplaſtrorum duorum, valde laudatorum a GALENO (*hh*), *Iſidis* nempe vel Hermonis vel Epigoni, de quo quidem ſupra locutus ſum, et alterius cuiusdam διὰ δικτάμνου *ſacrum* vocati, quippe quae et oculorum fluxiones ſiſtere, et in eodem Vulcani templo iuxta Memphin inventa eſſe dicantur. Quorum formulas vel a Sacerdotibus, qui easdem forte in incubantibus uſu confirmatas viderent, ſive ab ipſis incubantibus (*ii*) in templi columnis inſcriptas, vel a ſingulis hominibus, vim earum ſaepius expertis, in templa Deorum translatas eſſe ſuſpicamur, quale erat, etiam collyrium illud, quod, ab auri quodam fabro per teſtamentum templo Epheſio relictum, deinde Adrianus, Imperator, invenit. (*kk*)

Omitto caeterum miraculoſas Adriani (*ll*), et Veſpaſiani (*mm*), Imperatorum, curationes, quibus viſum coecis reſtituiſſe dicuntur. Vt enim utriusque huius coeci morbum ſimulatum, totam que adeo fabulam ad ſtabiliendam eo firmius

(*hh*) *Comp. ſec. gen.* lib. V cap. I. ex HERA.
(*ii*) PLIN *Hiſt nat.* lib. XXIX. cap. I. Edit. Froben. 1554 pag. 518.
(*kk*) AET. lib. VII.
(*ll*) SPARTIAN.
(*mm*) SUETON. et TACIT. Hiſtor. IV. 81.

mius Imperatorum auctoritatem majeſtatem que ab eorundem amicis datam populo fuiſſe, credamus, facile et res ipſa et veterum quorundam auctorum ſententiae nobis perſuadent.

Deſiit tandem vel ſub quinti ſaeculi finem, vel ſub initium ſexti, ut ſupradictum fuit, hicce apud quasdam olim gentes celeberrimus ritus incubationis, ita tamen, ut noſtris etiam temporibus quaedam ipſius veſtigia ſuperſint. Antiquos quidem Chriſtianos eundem iam ritum imitatos fuiſſe, luculenter aliqua THEODORETI verba (*nn*) teſtantur, quae integra hic adſcribere non incongruens erit. „Ὅτι δὲ τυγχάνουσιν, inquit, ὧνπερ αἰτοῦσιν οἱ „πιςῶς ἐπαγγέλλοντες, ἀναφανδὸν μαρτυρεῖ τὰ „τούτων ἀναθήματα, τὴν ἰατρείαν δηλοῦντα. οἱ „μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν, οἱ δὲ ποδῶν, ἄλλοι δὲ χει„ρῶν προσφέρουσιν ἐκτυπώματα, καὶ οἱ μὲν ἐκ „χρυσοῦ, οἱ δὲ ἐξ ὕλης ἀργύρου πεποιημένα. δέ„χεται γὰρ ὁ τούτων δεσπότης καὶ τά σμικράτε „καὶ εὔωνα, τῇ τοῦ προσφέροντος δυνάμει τὸ δῶ„ρον μετρῶν. δηλοῖ δὲ ταῦτα προκείμενα τῶν παθη„μάτων τὴν λύσιν, ἧς ἀνετέθη μνημεῖα παρὰ τῶν „ἀρτίων γεγεννημένων." Eandem que veterum Chriſtianorum conſuetudinem hodie quoque inter eos ſaltem ſervari, qui Romanae eccleſiae ſacris initiati ſunt, pervulgata et Omnibus notiſſima res eſt; dum claudi, vel alio quopiam morbo laborantes, cum primum Dei vel Sanctorum miraculo aliquo liberati et reſtituti fuerint, fuſtes

(*nn*) ἑλληνικῶν θεραπευτικῆ παθημάτων, Sermone VIII, περὶ τῆς τῶν μαρτύρων τιμῆς. In Opp. edit. Pariſ. 1642. Tom. IV. pag. 606. A.

fuſtes, cum quibus antea ambulare conſueverant, vel membrorum Sanatorum imagines, cera expreſſas, templorum parietibus adpendere ſolent.

§. 6.

Pythagoras. Diagoras.

Interim ſatis diu ſervile ſanctae ignorantiae ſuperſtitioſae que religionis iugum experta erat ars praeſtantiſſima, antequam viri ſurgerent, qui e Sacerdotum ſervitute eriperent illam, artem que, indigno huc usque fato empiricam, paulo ſtudioſius excolerent. At eo quidem tempore novus aliquis ſcientiae medicae per Philoſophiam ſplendor acceſſit, cuius tunc pars habebatur, „unde multos quoque ex Sapientiae „profeſſoribus peritos eius fuiſſe accepimus," quorum hoc tamen loco, ut ad rem nobis propoſitam revocetur oratio, duo nominaſſe ſatis erit.

PYTHAGORAS nempe, qui de herbarum virtutibus ſcripſiſſe fertur (*oo*), rutam, teſte PLINIO (*pp*), oculis noxiam eſſe putavit: DIAGORAS vero Opii uſum damnavit in aurium doloribus et oculorum lippitudine, quoniam et viſus aciem hebetaret, et ſoporiferum eſſet, ut ERASISTRATVS quidem teſtatur apud DIOSCORIDEM (*qq*). Collyrium praeterea DIAGORAE,

(*oo*) PLIN. *Hiſt. natur.* lib. XXV. cap. 2.
(*pp*) *Ibid.* lib. XX. cap. 13.
(*qq*) *De re med.* lib. IV. cap. 65. Cf. PLIN. *Hiſt. natur.* lib. XX. cap. 18.

GORAE, *diarrhodon magnum* vocatum, eſt apud ORIBASIVM (*rr*), quod idem, paulo mutatum, AETIVS quoque habet (*ss*).

§. 7.

Hippocrates Cous.

Itaque tandem nunc aliquando ad HIPPOCRATEM tranſeo, *Coum*, verum et celebratiſſimum omnis Medicinae parentem. De quo tamen praeſtantiſſimo viro, ſicuti de caeteris quibusdam, quorum ſcripta ad nos pervenere, brevis eſſe potero, cum libris meritiſſimi Senis excerpendis, et recenſendis Eiusdem ſententiis, alium quendam locum deſtinaverim. Multa nempe de oculorum morbis, eorum que medica cura, in operibus Eiusdem ſparſa reperiuntur. Liber exſtat ſingulus *περὶ ὄψιος*, quem ipſius quidem Coi eſſe negant, minime tamen inutilem dicit Ill. HALLERVS (*tt*). Nullibi autem, quo demum cunque loco de oculorum vitiis ille locutus ſit, alterius cuiusdam medici mentionem feciſſe eum invenio, ut CICERONIS inde verbis (*uu*), quae ſupra quidem a me repetita ſunt, auctoritas aliqua videatur accedere, cum Hippocratis aetate medicos, qui ſolis oculis mederentur, nondum fuiſſe dicit.

No-

(*rr*) *Syn. ad Euſtath.* lib. III. (In STEPHANI *art. med. princ.* pag 52.)
(*ss*) lib. VII. cap 108.
(*tt*) *Bibl chirurg.* Tom. I. pag. 12.
(*uu*) *De Oratore* III. 33.

Notiſſima *oculorum* eſt *Scarificatio*, vel *uſtio* potius, Hippocratica, quam poſt tot ſaecula WOOLHOVSIVS (*vv*) denuo in medicinam ocularium introduxit, eandem tanquam tacitum tamen arcanum ſoli ſibi ſervans, usque dum *Burch. Dav.* MAVCHART, illius quondam diſcipulus, arcanum praeceptoris, quo ad hanc operationem utebatur, inſtrumentum revelaſſet (*xx*). Qua de re hic quidem *Io. Zach.* PLATNERI (*yy*), et *Dan. Wilh.* TRILLER (*zz*) libellos obiter indicaſſe ſufficiet.

Quum in Gallia deinde, ſub huius ipſius ſaeculi initium, de nova, et tunc inaudita plane, cataractae ſede in lente cryſtallina, vehemens illa et celeberrima lis agitaretur; HIPPOCRATEM, una cum caeteris Medicis antiquis, mire et miſere torquebant viri doctiſſimi, quorum utraque pars, et veterem nempe et novam cataractae ſedem defendentium, graviſſimam ipſius auctoritatem ſibi ſuae que ſententiae favere contendit.

Ego quidem antea mecum conſtitueram, recenſere hic omnium morborum ocularium nomina

(*vv*) Catalogus Operationum Woolhouſianarum, cap 17. Exſtat in EIVSD. libello *de cataracta et glaucom.* edit. cit. pag. 347 et 335. ſeqq.

(*xx*) In diſſ. *de Ophthalmoxyſi nov - antiqua*, ſ. *Hippocratico - Woolhouſiana.* Tubing. 1726. 4.

(*yy*) diſſ. *de Scarificatione oculorum*, Lipſ. 1728. 4. c. figg. aen.

(*zz*) Progr. I et II. *de Scarificationis oculorum hiſtoria, antiquitate et origine*, Viteb. 1754. recuſ. in EIVSD. *Opuſc. medic.* Vol. I. pag. 463 ſeqq. et. 485 ſeqq.

mina, quae apud HIPPOCRATEM occurrunt; ſed mutavi deinceps conſilium, ne verba (*a*) FOESII aut CLERICI (*b*) tacite in mea tranſtuliſſe videar, cum et unus quisque facile queat viros illos adire, et ipſis praeterea nobis alius alio forte tempore hac de re dicendi locus maneat.

§ 8.

Democritus. Critobulus. Diocles. Ariſtoteles. Chryſippus.

Hippocrati ſubiungo DEMOCRITVM, *Abderiten* (*), cui et ipſi nempe non pepercit poſterior aetas. Etenim magnum forte pondus aliquod remediis ſuis acceſſurum fore ſperabant, ſi cum vetuſtatis uſurpatione viri alicuius conſpicui nomen ipſis praefixiſſent. Et ſic DEMOCRITVM quoque fel hyaenae ad omnes oculorum epiphoras atque dolores fronti illinere conſueviſſe, auctor eſt MARCELLUS *Empiricus* (*c*), vir cui diffidas, etiamſi tot ſaecula non intereſſent, neque tacerent ea de re omnes, qui ante eum ſcripſerant. *Hippocrates* certe, qui ipſi coaevus erat, id medicamentum plane nondum novit. Sit fides penes auctorem: "πῶς γὰρ, ut cum *Electra* loquar,

(*a*) In *Oeconom. Hippocratis.*
(*b*) *Hiſt de la medic* Amſt 1702. pag 157
(*) Conf. de DEMOCRITO lib GALENO adſcript. *de hiſtoria philoſoph.* cap. 94.
(*c*) lib *de medicamentis*, cap. 8. Fel et medullam hyaenae ad nervorum vitia adhibuiſſe DEMOCRITUM, adſerit IDEM, cap. 35.

loquar, ταῦτ' ἐπαινέσαιμ' ἄν;" —— DEMOCRITVM laudaſſe foeniculum ad oculorum mala, me legiſſe quondam memini in MESUES libro *de morbis internis curandis*, quem tamen infelici quodam caſu, dum haec ſcribo, conſulere non licet.

Neque CRITOBULUM hic praeterire aequum foret, quippe cui magnam ſuo tempore famam fuiſſe PLINIUS refert (*d*), "ob extra„ctam ex oculo Philippi, Macedoniae regis, ſa„gittam, et curatam, citra omnem deformita„tem oris, luminis orbitatem."

DIOCLIS porro *Caryſtii* huc refero *panchreſton ad oculi inflammationem*, ill. HALLERI auctoritate (*e*) confidens, qui compoſitionem hanc reperiri aſſerit apud ORIBASIUM (*f*), cuius vero libros ego quidem fruſtra pervolvi, cum neque huius, neque alterius cuiusdam medicamenti ocularii mentio ibi fiat, quod ad DIOCLEM referatur auctorem. Aliud tamen apud GALENUM invenio (*g*), *Diocleum* inſcriptum, quod quidem, cum duos huius no-

minis

(*d*) *Hiſt. natur.* lib. VII. cap. 37. Male quidem, et contra ipſius adeo PLINII verba, ill. HALLERVS, „*ut amiſſo, inquit, oculi uſu vulnus absque foedi„tate ſanaretur.*" (*Bibl. chirurg.* Tom. I. pag. 15)
Aliam quoque, huic non plane diſſimilem, oculi vulnerati ſanationem deſcriptam invenies in *libro V. Epidemior.* Vid. HIPPOCRATIS *Opp.* Edit. Foeſii, Genev. 1657. pag. 1153. H.

(*e*) *Bibl. chirurg* Tom. I pag 16

(*f*) *Synopſ. ad* EUSTATH. lib. III.

(*g*) *Comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. ex ASCLEPIADE.

minis viros fuiſſe intelligerem, *Caryſtium* alterum, alterum *Chalcedonium*, cui adſcriberem dubitabam. Malim interea referre ad priorem, quem etiam, oculos a bulbis hebetari, dixiſſe memorat PLINIUS (*h*), qui Chalcedonium iſtum nondum noverit, cum poſterioris hic ſit aetatis, cuius que praeterea nomen unico tantummodo loco apud GALENUM (*i*) occurrat. Liberum tamen cuilibet iudicium hac ſuper re eſto, quam qui ita explicaverit, ut ad ſpem eventus reſpondeat, "erit mihi magnus Apollo!"

ARISTOTELES denique *Stagirita*, qui Alexandri Magni temporibus floruit, philoſophus licet fuerit, nullo tamen modo tacendus hic eſt. Multa nempe loca paſſim apud eundem inveni, quae etſi non omni quidem ex parte huc faciant, a noſtro tamen propoſito prorſus ſeiuncta dici nequeunt. Eiusmodi fere ſunt, ubi de videndi organo et partibus oculi humani differit, in libris *de ſenſu et ſenſibili* (*k*), *de hiſtoria* deinde *animalium* primo (*l*), et tertio tandem *de partibus animalium* (*m*). De deperditis EIVSDEM libris, *uno* quidem, qui ὀπτικὸν fuit inſcriptus, et aliis *duobus* περὶ ὄψεως, FABRICIVS eſt conſulendus (*n*). Exſtant autem alia quoque loca, quae proxime rem nobis propoſitam, morbos

C 2 ſcili-

(*h*) *Hiſtor. natur.* lib. XX. cap. 9.

(*i*) *Comp. ſec. loc.* lib. VII. cap. 4. ex eodem ASCLEPIADE.

(*k*) cap. 2.

(*l*) cap. 9.

(*m*) cap. 13, 14 et 15.

(*n*) *Bibl. Gr.* lib. III, cap. 7.

ſcilicet oculorum, attingunt, in libro *de mirabilibus auſcultationibus* (o), et *Problematum* Sectione I. et XXXI. Quae ſingula quidem alia forſitan occaſione ſuo tempore perſequar.

CHRYSIPPUM graviter increpuiſſe *Ocimum*, inutile ſtomacho, urinae, et oculorum claritati, apud PLINIVM lego (p).

§ 9.

Theophraſtus Ereſius.

THEOPHRASTVS *Ereſius*, qui plantarum quidem hiſtorias pluribus libris conſcripſit, in medico tamen earundem uſu indicando parciſſimus eſt, ita, vt tria vix aut quatuor aliqua, quae ad noſtrum quidem argumentum ſpectant, loca (q) inveneris, niſi *decimus* forte liber, cuius tantummodo initium pervenit ad nos, hac de re plura continuerit. Sed de his alibi dicetur ſuo loco. *Libros* praeterea *quatuor* EIVSDEM περὶ ὄψεως a DIOGENE LAERTIO (r) indicatos reperio, de quibus, cum noſtram aetatem non attigerint, videatur FABRICIVS (s)

§. 10.

(o) *Opp.* Edit. Pariſ. 1654. Tom. II. pag. 720. D. E. et pag ſeq. in.

(p) *Hiſt. natur.* lib. XX. cap. 12.

(q) lib. IV. cap. 5. lib. IX. cap. 10. 12. 13.

(r) In *vita Theophr.*

(s) *Bibl. Gr.* lib. III. cap. 9.

§. 10.

Eraſiſtratus. Herophilus.

Sequitur ERASISTRATVS, egregius et inſignis horum temporum medicus, qui et nocentes adeo homines vivos inciderit, neque ab ea artis medicae parte alienus, quae manu medetur. EIVSDEM eſt *panchreſtos liquida compoſitio* ad aſpretudines et lippitudines omnes, aures que purulentas, ulcera oris ſerpentia, caet. apud CELSVM (*t*), (cuius tamen aetate ad ſola aurium ulcera, necdum ad oculos, adhibitam fuiſſe putes,) dein apud GALENVM, qui primus ad oculos quoque eam ex ASCLEPIADE laudat (*u*), apud ORIBASIVM (*v*), AETIVM (*w*), et PAVLVM denique *Aeginetam* (*x*), quorum tamen omnium formulas, non re quidem ipſa, ſed ſolo pondere, inter ſe differre animadverto.

(*t*) lib. VI. cap. 7. nro. 2.

(*u*) *Comp. ſec. locos*, lib IV. cap 7.

(*v*) *Syn. ad* EVSTATH. lib. III. in STEPHANI *Art. med. princ* pag. 51.

(*w*) libr. VII cap 99. et pluribus locis, ut libr VI. cap. 82. libr. VII. cap. 13, 20, 53, 77 ex quibus inter ſe comparatis adparet, nec *plura* medicamenta ocularia ERASISTRATI liquida ab AETIO laudari, et ipſam illam liquidam compoſitionem unam eſſe eandem que cum *panchreſto*, a caeteris quoque medicis deſcripta. Quod quidem contra ill. HALLERVM monuiſſe liceat, qui in *Bibl chirurg.* Tom. I. pag 17. ſecus ſentire videtur.

(*x*) lib. VII. cap. 16.

verto. Uſum *opii* damnaſſe ERASISTRATVM, quoniam viſui noceret, PLINIVS tradit (*y*).

ERASISTRATO coaevus erat, ideo que a nobis una cum illo hic nominandus, HEROPHILVS, cuius *medicamentum ad nyctalopas ex libro* EIVSDEM, qui *de oculis* fuit inſcriptus, nobis AETIVS (*z*) ſervavit.

Notiſſima denique eſt hisce ERASISTRATI et HEROPHILI temporibus artis medicae in tres quaſi ordines facta ſeceſſio. Quae quidem res, quam nullo caeterum modo auſim improbare, imo laudare malim, in culpa eſt, quod et ipſa mox chirurgia diverſas in partes rurſus diſceſſerit, unde ſubſequente aetate, apud Romanos praeſertim, viros reperimus, qui non niſi ſolis oculis mederi didicerint, quales et hodie ſunt; etſi minime ignorem, ſed gaudeam potius, ſemper fuiſſe, qui totum artis ambitum fuerint complexi. Quod quidem et ante me dudum et longe melius CELSVS iam dixit, cum: „Ego, „inquit (*aa*), eundem quidem hominem poſſe „omnia iſta praeſtare concipio: atque, ubi ſe „diviſerunt, eum laudo, qui quamplurimum „percipit."

§. 11.

(*y*) *Hiſtor. natur.* lib. XX, cap. 18.

(*z*) lib. VII. cap. 46

(*aa*) lib. VII. praefat.

§. 11. (*bb*)

Andreas Caryſtius. Nileus. Apollonius Memphites.

Nondum tamen hac ipſa iam aetate ocularii medici, *κατ' ἐξοχὴν* ita vocati, reperiuntur, cum omnes, qui eo fere tempore oculorum morbos curare in ſe ſuſciperent, vel medici ſimul fuerint, vel et aliarum certe, quae ad corpus humanum pertinent, partium chirurgi. Inter quos quidem poſt Eraſiſtratum conſiderandus nobis occurrit ANDREAS *Caryſtius*, *Herophileus*, de quo caeterum HALLERVM (*cc*) conſulas, dum hic ocularia modo EIVSDEM medicamenta ſint commemoranda, quorum *unum* quidem CELSVS (*dd*) habet, alterum, quod *diarrhodon* vocat, GALENVS (*ee*). *Opium* cum DIAGORA atque ERASISTRATO noxium oculis eſſe putavit, et protinus excaecatum iri, qui eo illinerentur, niſi adulteraretur Alexandriae (*ff*)

C 4 Huius

(*bb*) Libros deperditos, EPICVRI quidem περὶ τοῦ ὁρᾶν, et ZENONIS *Citiei* περὶ ὄψεως, in margine hic indicaſſe ſatis erit. Confer interea FABRICIVM in *Bibl. Graeca*, lib. III. cap. 15 et 33; atque librum GALENO adſcriptum, *de hiſtor philoſoph.* cap. 94.

(*cc*) *Bibl. chirurg.* Tom I. pag. 20.

(*dd*) lib VI cap. 6 nro. 16

(*ee*) *Comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7.

(*ff*) DIOSCORIDES de *mat. med.* lib. IV. cap. 65. PLINIVS in *hiſt. nat.* lib. XX. cap. 18.

Huius fere ipſius denique aevi fuiſſe videtur NELEUS, NILEUS, vel NILUS, Chirurgus, quippe quem ex ANDREA laudat ASCLEPIADES apud GALENUM (*gg*). IPSIUS eſt *collyrium ex roſis*, ſive *Diarrhodon*, CELSI iam temporibus celebratiſſimum, qui: „neque de „ullo, inquit (*hh*), magis inter omnes auctores „convenit." Imo et poſt CELSUM ab omnibus fere auctoribus, ASCLEPIADE nempe (*ii*), GALENO (*kk*), ORIBASIO (*ll*), AETIO (*mm*), PAULO *Aegineta* (*nn*), ACTUARIO (*oo*), caet. ſumma cum laude fuit repetitum, et ita quidem, ut in ſolo interdum pondere inter ſe paulo diſſentiant. Quod idem NILI collyrium adiecta acaciae drachma, quodam mutaſſe modo videtur GALLIO *ophthalmicus* (*pp*), de quo infra dicetur.

Huc APOLLONIUM quoque *Memphiten* refero, *Eraſiſtrateum*, cuius eſt *medicamentum ad ſugillata in oculis* apud AETIUM (*qq*).

§. 12.

(*gg*) *Comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7.
(*hh*) lib. VI. cap. 6. nro. 8 & 9.
(*ii*) apud GALENVM.
(*kk*) *Comp. ſec. loc.* lib IV. cap 7. ex ASCLEPIADE.
(*ll*) *Synopſ.* ad EUSTATH. lib. III. in STEPHANI *Art. med. princ.* pag 50. ex DEMOSTHENE.
(*mm*) lib IV. cap. 10. VII. 22. 25. 27 108. VIII. cap. 2. et aliis locis.
(*nn*) lib. VII. cap. 16. et lib. III. cap. 22.
(*oo*) *Method med.* lib. VI. cap 5. ex GALENO.
(*pp*) GALEN. *loc. cit.* ex ASCLEPIADE.
(*qq*) lib. VII. cap. 20.

§. 12.

M. Porcius Cato.

E Romanis M. PORCIUM hic nomino CATONEM, cuius aetas in haec fere tempora incidit: difficillimum enim fuerit, perfectum quidem et abſolutum temporum ordinem hic obſervare, ita, ut e tot viris, quorum aetas certo definiri non poteſt, nemini temere fiat iniuria. Ille igitur, amore *braſſicae* captus, oculis quoque eam prodeſſe pertinaciter adſerit, quippe quae de capite et oculis (*rr*) omnia deducat, et oculorum caligini ſcintillationibus que mire conveniat (*ss*), ut et lotium adeo conſervari atque calfieri iuſſerit eius, qui braſſicam eſitarit, eo que inungi, quibus oculi parum clari fuerint (*tt*).

§. 13.

Sed redeo ad eos, quos reliqueram, Eraſiſtrati et Herophili adſeclas, inter quos ſummum iam locum hic ſibi vindicat HERACLIDES *Tarentinus*, medicus, qui MANTIAE, *Herophilei*, fuit diſcipulus, licet ad Empiricorum deinde ſectam ſe verterit. Hic quidem *palpebram, albo ipſius oculi inhaerentem, adverſo ſcal-*

(*rr*) *De re ruſt.* cap. 157. in GESNERI *Scriptor. rei ruſt.* pag. 121.
(*ss*) PLIN. *hiſtor. natur.* lib. XX. cap. 9. Conf. quod PLINIO VALERIANO vulgo adſcribunt Opus *de re medica*, lib. IV. cap. 29.
(*tt*) *De re ruſt.* Edit. GESNER. cit. pag. 123.

ſcalpello iubet ſubſecari (*uu*): quo tamen modo reſtitutum eſſe neminem CELSUS meminit. EIUS quoque ſunt medicamenta ad oculos, quae ex ASCLEPIADE nobis ſervavit GALENUS, vt *pſoricum aridum* (*vv*), *collyrium aromaticum croceum ex haematite* (*xx*), *compoſitio ad trichiaſin* (*yy*), et *cataplaſmata ad lippitudines* (*zz*).

Comitem HERACLIDAE praebeo HYGIENUM HIPPARCHVM, medicum, et ipſum itidem MANTIAE diſcipulum, cuius *collyrium ad corroſos oculorum angulos* apud GALENUM invenio (*a*), ex quo repetiit deinde AETIUS (*b*).

Hoc denique loco ſermonem de iis etiam facere liceat, qui circa haec tempora e ſchola Aegyptia prodiere viri doctiſſimi, cum et ipſa ea quam plurimum HEROPHILO debeat. Ergo prae caeteris hic quidem CELSUS laudat (c) PHILOXENUM Chirurgum, eundem, qui CLAUDIUS PHILOXENUS dicitur ab ASCLEPIADE (*d*), et qui pluribus voluminibus doctrinam ſuam comprehendit (*e*): etenim non intelligo

(*uu*) apud CELSUM, lib. VII. cap. 7. nro. 6.
(*vv*) *Comp. ſecund. loc.* lib. IV. cap. 6.
(*xx*) *ibid.*
(*yy*) *ibid.* cap. 7.
(*zz*) *ibid.*
(*a*) *ibid.* ex ASCLEPIADE.
(*b*) lib. VII. cap. 110.
(*c*) lib. VII. praefat.
(*d*) apud GALEN. *comp. ſec. gen.* lib. II. cap. 9. et lib. III. cap. 11.
(*e*) CELS. *loc. cit.* Citantur EIVS libri ab ASCLEPIADE, apud GALEN. (*Comp. ſec loc* lib. IV. cap. 6 & 7. et *comp. ſec. gen.* lib. IV. cap. 11.) et a PAVLO *Aegineta*, lib. VII. cap. 11.

telligo, cur duos fuiſſe (*f*) iſtos putem, praeterea cum ab mea quoque ſententia ipſe ſtet FABRICIUS (*g*), Plura EIUSDEM medicamenta ocularia ASCLEPIADES recenſet apud GALENUM (*h*), quae ſunt *aridum achariſton: compoſitio ad lippitudinem ſiccam et ſycoſin: aridum* aliud, cum alia quadam mutata ab ASCLEPIADE eiusdem medicamenti formula: *cataplaſma ad oculorum dolores*: aliud deinde ab iſto *cataplaſma ad fluxiones et dolores: compoſitio liquida ad viſum acuendum: medicamentum ad ſuffuſiones: et Aegyptium* denique (*i*), ad lippitudinem quoque valens.

Poſt PHILOXENUM HERONES *duos* a CELSO (*k*) commemoratos video, quorum alteri, *Ophthalmico*, inſcriptum fuerit *collyrium pſittacus* apud GALENUM (*l*).

Quos tandem ſequitur AMMONIUS *Alexandrinus* (*m*), cuius eſſe *collyrium Hygidium* dixere quidam, teſte AETIO (*n*).

§. 14.

(*f*) Vid HALLERI *Bibl. chir.* Tom. I. pag. 24. et 57.
(*g*) *Bibl. graec.* Vol XIII. pag 369.
(*h*) *Comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 6 et 7.
(*i*) *Compoſ. ſec. gen.* lib. III. cap. 11.
(*k*) lib. VII. praefat.
(*l*) *Compoſ. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. unde repetiit ACTVARIVS, *Meth. med.* lib. VI. cap. 5.
(*m*) CELS. *loc. cit.*
(*n*) lib. VII. cap. 113. Conf PAVL. *Aegin.* lib. VII. cap. 16. Aliud *collyrium* quoddam *Hygidium* ASCLE-

§. 14.

Zopyrus. Apollonius Citieus.

Poſt ASCLEPIADEM *Bithynum* (o), de quo nihil quidem amplius habeo, quod dicam, primus

ASCLEPIADES deſcribit apud GALEN. (*compoſ. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7.) diverſum ab illo; niſi haecce forte ASCLEPIADIS compoſitio fuerit vera atque genuina, AETII et PAULI temporibus varie deinde mutata.

(o) Hunc virum eundem fuiſſe putes, (Conf. HALLERI *Bibl. chir.* Tom I. pag 76) qui pleno nomine dicitur MARCVS TERENTIVS ASCLEPIADES. Vid. GALEN. *comp. ſec gen.* lib VII cap. 4. ubi iunior ille ASCLEPIADES, cognomine *Pharmacion*, malagma aliquod laudat M TERENTII ASCLEPIADIS, et Aſclepiadeum dicit idem vocari, eo, quod ad ASCLEPIADEM *Bithynum* referatur auctorem.

FABRICIVM quidem hic legere video MARCVM TERENTIVM *Aſclepiadeum*, (*Bibl Gr.* Vol. XIII. pag. 320 et 431.) quam illius tamen ſententiam adprobare non poſſum. Praeterea enim, quod extrema tunc ASCLEPIADIS verba cum prioribus non apte ſatis ibi cohaerent, in *graeca* Operum GALENI *edit.* Baſil. 1538 (Tom. II. pag. 410) ſequentem in modum legitur: „Ἄλλο *μάλαγμα* Μάρκου Τερεντίȣ Ἀσκλη-„πιάδου, caet." quo tamen loco, ſi probare inde vellet ſuam ſententiam FABRICIVS, melius forte dictum fuiſſet Μάρκου Τερ. τοῦ Ἀσκληπάδου, ſicut alibi quoque (*edit. cit.* Tom II. pag. 283) medicamentum quoddam laudatum invenio Γάλλου Μάρκου τοῦ Ἀσκληπιάδου, de quo infra.

primus nobis occurrit ZOPYRUS, medicus *Gordienſis*, difficillimum nomen, ſub quo duo viros diverſos CONRINGIUS (*p*), et alii complectuntur, unum, qui MITHRIDATI regi miſerit antidotum (*q*), alterum vero hoſpitem SCRIBONII LARGI (*r*). Quos vero, pace praeſtantiſſimi viri, unum ego eundem que fuiſſe arbitror. MITHRIDATES enim ille potuit eſſe Pergami rex, qui circa annum mundi 3937 contra PTOLEMAEUM, regem Aegypti, opem tulit IULIO CAESARI (*s*): ita, ut idem forte hicce PTOLEMAEUS, vel, qui ultimo fere Aegyptii regni tempore una cum ſorore regnavit, frater certe CLEOPATRAE natu minimus, fuerit ille, cui aliud quoddam antidotum (*t*) ZOPYRUS noſter compoſuerit. Accedit ipſa praeterea vicinitas, quae inter Gordienſes olim fuit atque Pergamenos. Itaque anno mundi 3983, quo ſcilicet tempore Chriſtum natum eſſe cum illuſtri GATTERERO hodie omnes fere credunt, ZOPYRUS tamen ſeptuageſimum forte aetatis annum vix egreſſus erat, circa quod igitur tempus facile hoſpes eſſe potuit SCRIBONII LARGI, quippe qui ſub TIBE-

(*p*) in CONRINGIANIS, pag. 24. Conf FABRICII *Bibl Gr.* Vol. XIII. pag. 455 ſeq. HALLERI *Bibl. chirurg* Tom I. pag. 26. et 48.
(*q*) GALEN *de antidot.* II. 43. ex APOLLONIO MVRE
(*r*) SCRIBON. cap. 43. compoſ. 172.
(*s*) BOYSEN'S *Auszug aus der allgem. Weltgeſch.* Alte Geſch. Theil III. pag. 558.
(*t*) CELSVS lib. V. cap. 23.

TIBERIO iam exercuerit medicinam (*u*). Adde etiam, quod eiusdem ZOPYRI antidotum quoddam, a SCRIBONIO (*v*) laudatum, non multum differt ab eo, quod PTOLEMAEO regi compoſitum fuiſſe CELSUS teſtatur. Neque obſtat tandem, eundem noſtrum et a CELSO laudari et ab APOLLONIO MURE: de CELSI enim aetate conſtat, iam AUGUSTO imperante eum floruiſſe, et APOLLONIUS MUS condiſcipulus fuit (*w*) HERACLIDIS *Erythraei*, quem aetate ſua vixiſſe STRABO (*x*) refert: ipſe autem STRABO quinto iam anno poſt mortem AUGUSTI ſcripſit (*y*). „Hoc obſervato, ut cum CONRINGIO loqui liceat iuveni protervo, „nulla videtur ſupereſſe difficultas!"— Haud ſcio, an noſter fuerit idem ZOPYRUS *Epicureus*, cuius PLUTARCHUS meminit in *Sympoſiacis* (z). — ZOPYRI plura apud ORIBASIUM loca exſtant, quorum non niſi unus tamen huc pertinet, *de iis, quae ex oculis trahunt humores* (*aa*).

Diſcipulum ipſi ZOPYRO iungo APOLLONIUM *Citieum*, cuius quidem locum eſſe vult

(*u*) HAMBERGERS *zuverläſſige Nachrichten*, Band II. pag. 38.

(*v*) Cap. 42.

(*w*) Non ergo *praeceptor*, ut CONRINGIVS adſerit, *loc. cit.*

(*x*) lib. XIV.

(*y*) HAMBERGER *libr. cit.* Band I. pag. 586.

(*z*) lib. III. quaeſt. 6.

(*aa*) *Medic. collect.* lib. XIV. cap. 45.

vult HALLERUS(bb), *de ſcarificatione ad morbos oculorum*, apud ORIBASIUM (*cc*).

§. 15.

Citati ab Apollonio Mure.

AELII GALLI (*dd*), qui Caeſaris aevo exſtitiſſe videtur (*ee*), vel GALLI AELII (*ff*), aliqua ſunt medicamenta ocularia, GALENO (*gg*) ex ASCLEPIADE dicta, ut *pſoricum* ad circumroſos oculorum angulos, *compoſitio ad ſuffuſiones*, et *collyrium* denique *ὀξυδορκικόν*. Aliud EIVSDEM *ad pterygia* (an oculorum?) apud GALENVM laudari HALLERVS (*hh*) adſerit, quem tamen locum ego quidem non inveni.

„Mireris alibi legi, inquit HALLERVS, „eundem AELIVM ANDROMACHI medica„mentum correxiſſe, et ſchiſtum eius catagma„tico adieciſſe." Sed impoſuit ſine dubio viro immortali locus ANDROMACHI aliquis male intellectus apud GALENVM (*ii*).

§. 16.

(*bb*) *Bibl. chirurg.* Tom. I. pag. 29.
(*cc*) *Syn. ad EVST.* lib. I. cap. 14.
(*dd*) GALEN. Antidot. lib. II. cap. 54.
(*ee*) GALEN. *ibid.* cap. 7. ex ANDROMACHO.
(*ff*) GALEN *comp. ſec. gen.* lib. VI. cap. 6. ex ANDROMACHO.
(*gg*) *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 6 & 7.
(*hh*) *Bibl. chirurg.* Tom. I. pag. 56.
(*ii*) *comp. ſec. gen.* lib. II. cap. 9. nro. 6.

§. 16.

Apollonius Mus.

Iam ad APOLLONIVM accedam, ſaepius a GALENO memoratum, qui ex ipſius libris εὐποϱίςων Φαϱμάκων (*kk*) multa transſcripſerit, eundem puto *Antiochenum* (*ll*) *patrem*, et qui *Muſ* erat cognominatus (*mm*). Is longo quidem tempore Alexandriae (*nn*) vixit, et HEROPHILI fuit ſectator (*oo*). CHRYSERMI *Herophilei* diſcipulum fuiſſe (*pp*) ex eo adparet, quod HERACLIDIS *Erythraei* συσχολαςὴς (*qq*) fuerit.

Noſtrum APOLLONIVM ab APOLLONIO *Mure* diſtinguit HALLERVS (*rr*), hunc quidem ipſius HEROPHILI *diſcipulum* fuiſſe exiſtimans, cum *Herophileus* tantummodo ab auctoribus dicatur. Neque id repugnat, quod de teſta Romana locutus ſit, quippe qui Caeſaris in aetatem (*ſſ*) iam inciderit, niſi poſteriorem adeo dicere

(*kk*) GALEN. *de fac. ſimpl. medic.* lib. VI. in *comp. ſec loc.* lib II. cap I. lib III cap. I. &c.

(*ll*) FABRICIVS *Bibl. Gr* Vol. XIII. pag. 74.

(*mm*) GALEN. *Antid.* lib. II & *compoſ. ſec. loc.* lib. III. cap. I. ubi, de APOLLONIO locuturus, „praeſtat enim," inquit, a veteribus auſpicari." Conf FABRICIVS *loc. cit*

(*nn*) GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. II. cap. I.

(*oo*) ID. *ibid* lib. III. cap. I. lib. VI. cap. 4. STRABO, lib XIV.

(*pp*) GALEN. *de different. pulſ.* lib IV.

(*qq*) STRABO lib. XIV.

(*rr*) *Biblioth. botan.* Tom. I. pag. 51 & 100 ſeq. *Bibl. chirurg* Tom. I pag 61.

(*ſſ*) GALEN. *Antidot.* lib. II. cap. 53.

dicere malimus: cum enim HERACLIDIS fuerit condiſcipulus, qui STRABONIS tempore inclaruit, et ipſum APOLLONIVM cum STRABONE vixiſſe neceſſe eſt. „*Nihil enim obſtat*, (quae quidem HALLERI verba, licet contra me dicta, huc tamen tranſtuliſſe fas ſit) „*quin Caeſarum aevo Herophili ſectatores ſuperfuerint*, *ut* „*perinde Eraſiſtrati.*" Praeterea meae quoque ſententiae FABRICIVS (*tt*) favet, qui ſub uno nomine APOLLONIOS hoſce complectitur. — *Erythraeum* caeterum fuiſſe APOLLONIVM *Murem* falſo KAESTNERVS (*uu*) pronunciat, STRABONIS nimirum teſtimonio (*vv*) abuſus.

HVIVS igitur varia fuerint medicamenta ocularia, *Phoenix* (*xx*) ſcilicet, et *idem* ex correctione AREI *Aſclepiadei* (*yy*), *aridum* porro ad viſus hebetudinem (zz), *compoſitio liquida* ad ſuffuſiones (*a*), *aromaticum* (*b*), *Chiacum* (*c*), et *aliud* denique ad carbunculos oculorum (*d*).

Locum

(*tt*) *loc. cit.*
(*uu*) *Medic. Gelehrten-Lexicon.*
(*vv*) *loc. cit.*
(*xx*) GALEN. *compoſ. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7.
(*yy*) ID *ibid*
(*zz*) AETIVS lib. VII. cap. 98.
(*a*) ID. lib VII cap. 99.
(*b*) ID. *ibid* cap. 25 28.
(*c*) ID. *ibid.* cap 25. 56. 28. Num idem, quod ORIBASIVS habet. *Synopſ ad* EVSTATH. lib. III? Saltim ex myrrha paratum fuiſſe, indicat AET. *loc cit.* cap 28
(*d*) AETIVS lib. VII. cap. 30. ex ipſo APOLLONIO.

Locum EIVSDEM, qui pharmaca continet *ad ſugillata ſub oculis*, GALENVS (*e*) habet. Ad *aegilopas* nulla pharmaca ſcripſiſſe, IDEM (*f*).

§. 17.

Ab Hera citati.

In tanta temporum obſcuritate, cum fruſtra, quando hic vixerit vel ille, plerumque quaeſieris, unicum fere praeſidium nobis id ſupereſt, ut deligenter perſcrutemur, quis primus auctor eos laudaverit, atque huic deinde ipſos iungamus. Itaque eodem modo et hic interpono EPIGONVM, cui nempe a quibusdam inſcribebatur emplaſtrum, *Iſis* vocatum (*g*), quod fronti impoſitum oculorum fluxiones cohiberet; eandem, quam hic efflagito, indulgentiam lectorum in reliqua etiam rei ſuſceptae tractatione exſpectans.

§. 18.

Heras Cappadox. Philo. Paccius Antiochus. Themiſon. Caſſius Felix.

Ipſe nunc *Epigonum* ſequitur HERAS *Cappadox*, HERACLIDIS *Tarentini* diſcipulus. Cuius

(*e*) *Compoſ. ſec. loc.* lib. V. cap. 1.
(*f*) *ibid.* cap. 2.
(*g*) GALEN. *comp. ſec. gen.* lib. V. cap. 1. ex HERA, & lib. IV. cap. 11. Conf. infra §. 19. HERMON.

ſus viri et CELSVS meminit, et GALENVS inter alia *medicamentum* habet ad *ſugillata ſub oculis* (*h*) et *ad aegilopas* (*i*). Ex EIVSDEM *ſcriptis* loca quaedam huc ſpectantia apud AETIVM (*k*) ſunt.

PHILONIS, *Tarſenſis* (*l*) puto *Aſclepiadei* (*m*), *collyrium* habet CELSVS (*n*). Sub AVGVSTO eum vixiſſe, CLERICVS (*o*).

Neque procul forte hinc aberit PACCIVS ANTIOCHVS (*p*), *ophthalmicus*, quem ex THEMISONE videtur laudaſſe ASCLEPIADES apud GALENVM (*q*). Librorum IPSIVS ANDROMACHVS mentionem facit apud EVNDEM (*r*): eius que poſt mortem medicamentum quoddam ad TIBERIVM *Caeſarem* perveniſſe, SCRIBONIVS LARGVS (*s*) commemorat. ILLIVS

D 2 ocu-

(*h*) *Comp. ſec. loc.* lib. V. cap. 1. repetitum ab ACTVARIO, *Meth. med*, lib. VI, cap. 5.
(*i*) *ibid.*
(*k*) ut lib. VII. cap. 10.
(*l*) Ipſe PHILO, in antidoti ſui deſcriptione, apud GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. IX. cap. 4.
(*m*) Ipſe PHILO, *loc. cit* Conf. GALENI commentarium in hosce PHILONIS verſus; et STRABONEM, lib. XIV et lib. VIII. (edit. lat. Amſtel. Ianſſon. 1652. 12mo. Tom. II. pag. 348, et Tom. I. pag. 655.)
(*n*) lib. VI. cap. 6. nro. 3.
(*o*) *Hiſt. de la medic.* Part III. pag. 14.
(*p*) GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. IX. ex ASCLEPIADE.
(*q*) ID. *ibid.* lib. IV. cap. 7.| ex EOD.
(*r*) *comp. ſec. gen.* lib. VII. cap. 5.
(*s*) cap. 23. MARCELL. *Empiricus*, cap. 20.

ocularia nonnulla remedia ſuperſunt; *Sphragis* (t), *Aſclepiadeum* (u), *Enſtacton* (v), et *collyrium ex terra Samia* (w).

Ipſum porro THEMISONEM, *Laodiceum*, in librorum ſuorum aliquo ocularia etiam medicamenta litteris mandaſſe ſuſpiceris ex loco quodam ASCLEPIADIS apud GALENVM (x).

CASSIVS quoque FELIX ſuum aliquem locum ſibi hic vindicat, quippe quem „*nuper viderit* CELSVS (y), *ingenioſiſſimum eius ſaeculi* „*medicum*." EIVSDEM erat *compoſitio ad ſuffuſiones*, quam ASCLEPIADES laudat apud GALENVM (z), et paulo mutatam AETIVS (*aa*) quoque habet. Ex IPSIVS *problematibus* plura rem noſtram loca attingunt (*bb*), ſingula ſuo quidem tempore recenſenda.

§. 19.

(t) GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. ex ASCLEPIADE.

(u) GALEN. *ibid.* ex EOD. repetiit AETIVS lib. VII. cap. 109 Idem quoque paulo aliter ORIBASIVS habet, (*Synopſ. ad* EVST. lib. III. in STEPHANI *art. med. princ.* pag. 52.) qui *Aſclepiadae Paccianum* vocat.

(v) GALEN. *loc. cit.* ex EOD.

(w) GALEN. *loc. cit.*

(x) *comp. ſec. loc.* lib IV. cap 7. „*Enſtacton* PAC„CII, *ut* THEMISON." *refert*, puta, ſive *componere ſolebat.*

(y) in *praefat.* lib. I.

(z) *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7.

(*aa*) lib. VII. cap. 99.

(*bb*) ut 13-19. 28. 45. 60. 65. 66. 75.

§. 19.

Citati a Celſo. Afri. Druidae Gallorum.

Interim caeteros quosdam viros hic nominabo, a CELSO laudatos, cum de aetate illorum certius aliquid dici vix queat.

Inter ipſos eſt CLEON, quem ſuperioris putes aevi fuiſſe, ſi modo ea, quae ex APOLLONIO refert AETIVS (*cc*), antiqui illius fuerint APOLLONII, qui *Mus* erat cognominatus. *Tria* EIVS *collyria* CELSVS (*dd*) deſcribit, quorum alterum forte idem fuerit cum alio quodam, quod apud PAVLVM *Aeginetam* inveneris (*ee*). Cui tamen, quod AETIVS laudat (*ff*), propius etiam accedit. Quod vero ORIBASIVS (*gg*) habet, *aliud* ab his eſſe videtur. CLEONIS *gluten*, fluxionem cohibens, apud EVNDEM (*hh*). Num idem CLEON, qui „expurgatis ante oculorum ulceribus, cicatricem „inducere ipſis ſolebat, eam que eiusdem cum „cute proxima (*ii*) coloris?"

(*cc*) lib. VII. cap. 107.
(*dd*) lib VI. cap. 6. nro 5. et nro. 8. in fine, et nro. 11.
(*ee*) lib. VII. cap. 16.
(*ff*) lib. VII. cap. 107. Conf. *ibid.* cap. 18. & 28. &c.
(*gg*) *Synopſ. ad* EVSTATH. lib. III. in STEPHANI *Art. med. princ.* pag. 51.
(*hh*) *ibid.* (pag. 52.)
(*ii*) ACTVAR. *Meth. med.* lib. IV. cap. 11.

HERMON forte ἱερογραμματεὺς ſimul cum EPIGONO nobis erat dicendus, quippe cui a quibusdam adſcribebatur idem (*kk*) emplaſtrum, quod *Iſin* adpellant alii, et EPIGONI fuiſſe contendunt (*ll*). Attamen „non opineris, aliud „eſſe atque aliud, et quod in Aegypto in templo „Vulcani repertum fuiſſe dicitur, et HERMO-„NIS ἱερογραμματέως et EPIGONI; haec omnia enim ipſi ſunt nomina (*mm*)." EIVSDEM forſitan *collyrium* eſt, quod apud CELSVM (*nn*) occurrit.

DIONYSII *collyrium* CELSVS indicat (*oo*). Haud ſcio, an idem is fuerit *Mileſius*, cuius *medicamentum ad trichiaſin* GALENVS (*pp*) habet. — Eundem iſtum *Mileſium* fuiſſe arbitror, cui *collyrium* quoddam *Aërianum* erat inſcriptum (*qq*).

HIERAX *Thebanus* (*rr*). Num idem, cuius intimus amicus CAPPADORVS laudatur ab auctore

(*kk*) GALEN. *comp. ſec. gen.* lib. V. cap. 1. et AETIVS, lib. XV. cap. 12. Caveas tamen, ne GALENI verba illa „προςηγόρευε δὲ αὐτὴν &c." referas ad HERAN, quippe quae de aliquo GALENI praeceptore ibi dicta ſint.

(*ll*) Vid. *ſupra*, §. 17.

(*mm*) Sunt verba GALENI, *loc. cit.*

(*nn*) lib. VI. cap. 6. nr. 24.

(*oo*) lib. VI. cap. 6. nr. 4

(*pp*) *compoſ. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. ex ASCLEPIADE.

(*qq*) GALEN. *ibid.* ex EOD.

(*rr*) GALEN. *comp. ſec. gen.* lib. V. cap. 7. ex ASCLEPIADE.

auctore operis *de re medica*, PLINIO VALERIANO vulgo adſcripti (*ss*)? EIVSDEM eſt *collyrium* ad aſpretudines (*tt*), atque *aliud* ad easdem (*uu*), ut et *Hieracium* (*vv*) ad obtuſum viſum et aſpretudines. Aliud quoque *Hieracium* apud PLINIVM inveneris (*xx*), ad caligines oculorum et ſcabritias, caet.

MEGES *Sidonius* (*yy*), chirurgus (*zz*) cuius *pſilothrum palpebrarum* PLINIVS habet (*a*). In ancyloblepharo „multa ſe tentaſſe, neque tamen umquam profuiſſe, quia ſemper iterum „oculo palpebra inhaeſerit, memoriae prodi„dit (*b*).

PHILETIS *collyrium* ad oculorum puſtulas apud CELSVM (*c*) exſtat.

PTOLEMAEUS quidam, chirurgus, ab eodem auctore laudatur (*d*). Num alius forte ab hoc fuerit Γνώϱιμος *iuniori* ASCLEPIADI (*e*) dictus,

(ss) lib. IV. cap. 2.

(tt) CELSVS, lib. VI. cap. 6. nr. 28.

(*uu*) GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. ex ASCLEP.

(*vv*) ID. *ibid.* Conf. GORRAEVM in *definit. med.*

(*xx*) *Hiſtor. natur.* lib. XXXIV. cap. 11. in *fine.*

(*yy*) GALEN. *Meth. med.* lib. VI. in *fine.*

(*zz*) IDEM *comp. ſec. loc.* lib. V. cap. 7. Conf. CELSVS lib. VII. praefat.

(*a*) lib. XXXII. cap. 7.

(*b*) CELSVS, lib. VII. cap. 7. nro. 6.

(*c*) lib. VI. cap. 6. nr. 12.

(*d*) lib. VI. cap. 7. nr. 2.

(*e*) apud GALENVM, *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. lib. VII. cap. 5. & *comp. ſec. gen.* lib. V. cap. 10. (Opp. GALENI *edit. graec.* Baſil. 1538. Tom. II. pag. 219. 271. 390.)

dictus, cuius IDEM habet *medicamentum* (*f*) ad ſcabras palpebras viſus que hebetudinem? Vario quidem modo latine reddi video hocce vocabulum, cum *familiarem* ille (*g*), hic *celebrem* (*h*) inde faciat. Priori etiam interpretationi FABRICIUS (*i*) adſentit, quae ſi vera eſt, ASCLEPIADIS *Pharmacionis* ſodalem, ideo que iunioris aetatis fuiſſe PTOLEMAEUM noſtrum, adparet. Aliorum tamen interpretum, qui *celebrem* vertunt, ſententiae favere malim, quippe quae primae magis et genuinae graeci vocabuli vi convenire videtur, ita vero, ut difficile forte fuerit nemini, magnum inde et anceps mihi movere bellum, quo tamen ego quidem cuique, quisquis ille ſit, aequo animo cedam.

THEODOTI eſt *collyrium* (*k*), *achariſtum* adpellatum, neque ab eo, ut videtur, diverſum, quod *Theodotion Flaccianum* vocatur a GALENO (*l*) atque AETIO (*m*). CLEONIS collyrio adieciſſe aliqua THEODOTVM, CELSVS (*n*) monet.

TRY-

(*f*) ID. *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. AETIVS lib. VII. cap. 110.

(*g*) GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. lib. VII. cap. 5 (*edit.* Opp. *lat.* Baſil. 1562 Claſſ. V. pag. 315 et 373)

(*h*) ID *comp. ſec. gen.* lib. V. cap. 14. (*edit. lat. cit.* pag. 510.)

(*i*) *Bibl. Gr.* Vol. XIII. pag 382.

(*k*) CELSVS libr. VI. cap 6. nr. 6.

(*l*) *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7.

(*m*) lib. VII. cap. 113.

(*n*) lib. VI. cap. 6. nro. 5.

TRYPHON denique *Gortyniates* etiam huc pertinet, cuius *Sphaericum* GALENVS ex ASCLEPIADE recitat (*o*). Quamvis enim TRYPHONES, filium nempe et patrem, ſeparare non queas, *patrem* tamen eſſe hunc noſtrum inde fere crediderim, quod filii nusquam mentio facta ſit, neque eum patri parem fuiſſe ex CELSI elogio (*p*) ſuſpiceris, ſi modo certum ſit, et ipſum filium fuiſſe medicum, cuius tamen rei ego quidem nulla teſtimonia inveni.

Neque tandem alienum prorſus abs re fuerit, aliqua hic iniicere de aliorum populorum medicina ocularia, quorum pauciſſima tantum monumenta, rei quidem noſtrae inſervientia, ſuperſunt, AFRORVM nempe, atque GALLORUM. Itaque ubi tenuis cuiusdam pituitae curſus oculos infeſtaverit, verticem ILLI usque ad os adurebant, ſic, ut ſquamam remitteret, quam curationem, ipſis etiamnum Graecorum inciſionibus efficaciorem, CELSUS laudat (*q*). Sed maiores etiam laudes EIUSDEM (*r*) meruit, qui inter GALLIAE COMATAE incolas mos fuit, in temporibus et ſuperiore capitis parte venas ligandi.

Herbae *Selaginis* denique fumum contra omnia oculorum vitia prodeſſe (*s*), DRUIDAE GALLORUM prodidere, quippe qui gentis ſuae

(*o*) *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7.
(*p*) lib. VII. praefat.
(*q*) lib VII. cap. 7. in fine.
(*r*) *ibid.*
(*s*) PLINIVS *Hiſtor. natur.* lib. XXIV. cap. 11.

et vates ſimul fuere et medici, uſque dum TIBERII *Caeſaris* principatus eos ſuſtulerit (*t*).

§. 20.

Antonius Muſa. Aemilius Macer. A. Corn. Celſus.

Antequam nunc vero ad ipſius CELSI tempora perveniamus, ANTONIUS etiam MUSA, AUGUSTI Imperatoris medicus, nobis dicendus erit. Huius enim viri illuſtris, ut alia medicamenta multa, ita plura quoque ocularia ab auctoribus celebrantur, quae quidem haec fere ſunt: *Paſtillus* (*u*); *compoſitio* ad claritatem oculorum atque glaucedinem; *aliud* quoddam ad oculos medicamentum; *compoſitio* ad trichiaſin, atque ad κρίθας denique et πόσθιας (*v*). *Collyrium* EIUSDEM habet MARCELLUS *Empiricus* (*w*).

AEMILIVS deinde MACER, qui ſub eodem AUGUSTO Imperatore floruit, prorſus omitti hoc loco non poteſt. Scripſerat librum *de virtutibus herbarum*, quem iam dudum tamen interiiſſe dolemus. Qui enim AEMILII ſub nomine

(*t*) ID. *ibid* lib XXX. cap. 1.

(*u*) GALENO, ORIBASIO atque PAULO &c. laudatus, quem *ad palpebrarum* quoque *carbunculos* commendat AETIVS lib. VII. cap. 30.

(*v*) GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. ex ASCLEPIADE.

(*w*) *De medicam.* cap. 8. in fine.

mine circumfertur iſtius argumenti libellus, plus uno loco PLINIUM redolet, et iunioris aetatis poetam aliquem agnoſcit auctorem, utpote in quo mentio fiat ORIBASII (*x*) atque STRABI (*y*).

Ipſius CELSI propria aliqua medicamenta laudata ab aliis nulla obſervavi. Multa vero collyria aliorum collegit. „Neque (*z*) tamen „absque artis fuit exercitio, qui ſuam ſenten„tiam multis locis dicat, in *ancyloblephari* exem„plo, cuius quae ferro fit ſolutionem negat um„quam recte ſucceſſiſſe (*aa*)." Quod ipſum ex aliis quoque multis EIUSDEM locis luculenter adparet, praeſertim ubi chirurgicas operationes deſcribit, ut ſuffuſionis, caet. HIPPOCRATEM carpit (*bb*), qui in *aphoriſmorum* ſuorum aliquo (*cc*) medicamenta quidem ad ophthalmiam enumeraverit, ſed parum explicuerit tempora eorum atque cauſſas. — Duo tantummodo ex libris EIUSDEM, *ſexto* nempe et *ſeptimo*, capita huc pertinent, ex hoc quidem *ſeptimum*, *ſextum* ex illo, quorum prius enumerat *oculorum morbos, qui medicamentis*, alterum, *qui ſcalpello et manu curantur*.

Sed

(*x*) Cap. 12. *de Sabina*, et cap. 76. *de Aloe*.
(*y*) Cap. 25. *de Liguſtico*.
(*z*) verba HALLERI, *Bibl. chir.* Tom. I. pag. 38.
(*aa*) lib. VII. cap. 7. nr. 6.
(*bb*) lib. VI. cap. 6. nr. 1.
(*cc*) Sect. VI. *Opp. edit. Foeſ.* 1657. pag. 1257. D. „Οδυνας οφθαλμων ακρητοποσιη, ἢ λȣτρον, „ἢ πυριη, ἢ φλεβοτομιη, ἢ φαρμακοποσιη „λυει."

Sed relinquo hic virum iucundiſſimum, alio forte tempore reviſurus eundem. Jam ad eos me vertam, qui coaevi fere ipſi fuerunt.

§. 21.

Celſo coaevi.

In quorum etiam numerum referre licebit MARTIANUM (*dd*), medicum Afrum, quippe qui antidotum CAESARI AUGUSTO compoſuerit (*ee*). IPSIUS *collyrium* AETIUS (*ff*) laudat, qui AFRI quoque *Phoenicem nigrum* ad oculos (*gg*) eodem habet capite, ut per AFRUM ibi eundem MARTIANUM ſignificari recte putaveris.

Adiungo illi LVCIVM JVNIVM MODERATVM COLVMELLAM, qui et ipſe CELSI fere aetate vixit, cuius que bina quidem loca hic indicanda ſunt, ubi de oculorum vitiis in bubus &c. diſſeritur (*hh*).

Eodem

(*dd*) Eundem virum bis recenſet HALLERUS, in *Bibl. chir.* Tom. I. pag. 46 et 104. quo poſtremo loco MARIANUM vocat, levi quidem errore, quem ipſe quoque laudatus ibi locus AETII refutat, lib. XI. cap. 11. Etenim in ea certe, qua utor, editione AETII (lat. Froben. 1549) lego MARCIANUM.

(*ee*) SCRIBON. LARG. cap. 46. comp. 177.

(*ff*) lib. VII. cap. 110. ex ipſo MARTIANO.

(*gg*) ID. *ibid.* in fine.

(*hh*) Lib. VI. cap. 17. et 33. (in *Script. de re ruſt.* edit. GESNERI, pag. 625. ſeqq. & 638.)

Eodem quoque tempore floruere alii, primi tandem illi, qui nobis occurrunt, et ſtrictiori quidem ſenſu dicuntur *ocularii:* PACCII enim *ophthalmici*, praeter ocularia, etiam alia quaedam medicamenta exſtant.

Quorum primus eſt EVELPIDES, qui maximus CELSI aetate fuit medicus ocularius (*ii*). Plura ab ipſo compoſita collyria idem auctor deſcribit, ex quibus maximas eius laudes meruit *Baſilicon* (*kk*). Caetera EIVSDEM ſunt Τρυγῶδες (*ll*), Μεμιγμένον (*mm*), *Phynon* (*nn*), *Sphaerion* (*oo*), *Liquidum* (*pp*) denique, et *Pyxinum* (*qq*).

De altero eorum, TIBERIO (*rr*) CELADIANO, nihil fere habeo, quod dicam, niſi quod medicus ocularius fuerit, et TIBERII *Caeſaris Auguſti* ſervus, atque triginta denique vixerit annos. Quae cuncta *Inſcriptio* GRVTERIANA teſtatur (*ss*).

Poſtremo tandem loco PVBLIVM ATTIVM hic nomino ATIMETVM, AVGVSTI eundem (qui fuerit TIBERIVS) medicum ab ocu-

(*ii*) CELSVS, lib. VI. cap. 6. nr. 8.
(*kk*) *loc. cit.* nr. 31.
(*ll*) *ibid.* nr. 8.
(*mm*) *ibid.* nr. 17.
(*nn*) *ibid.* nr. 20.
(*oo*) *ibid.* nr. 21.
(*pp*) *ibid.* nr. 22.
(*qq*) *ibid.* nr. 25.
(*rr*) „ILLVSTRIVS," SPONIO: „ILLYRIVS," *aliis.*
(*ss*) pag. MCXI. nr. 6. SPONII *Miſcell.* pag. 143.

oculis (*tt*), CASSII *medici* ſervum, a quo veram remedii colici CASSIANI compoſitionem accepit SCRIBONIVS (*uu*), et legatum TIBERII (*vv*). GALENVS EIVSDEM *Lyſiponion* ex ASCLEPIADE habet (*xx*).

§. 22.

Medici ocularii ex inſcriptionibus atque ſigillis.

Iam commodus hic locus erit recenſendis quibusdam, quorum quidem aetas incerta eſt, medicis ocularii, quos tamen et *inſcriptiones* indicant et *ſigilla.*

Illas ex variorum operibus WALCHIVS (*yy*) collegit, qui oculariorum quoque medicorum *ſigilla* in unam quaſi ſeriem congeſſit, atque interpretatus eſt ſingula (zz), ita tamen, ut plura corrigenda et melius explicanda relinqueret viro iam deſideratiſſimo, *Dan. Guil.* TRILLERO, qui in ſingulari aliquo programmate (*a*) idem argumentum adgreſſus eſt, cui deinde extremam quaſi

(*tt*) GRVTERI *Theſaur.* pag. DLXXXI. nr. 3.
(*uu*) cap. 29. comp. 120.
(*vv*) SCRIBON. *loc. cit.* Conſ. RHODIUM, pag. 189.
(*xx*) *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7.
(*yy*) *Inſcriptiones medicor. ocular.* in EIVSD. *Antiquit. med. ſelect.* pag. 93. ſeqq.
(*zz*) EIVSD. *Antiq. med. ſel.* pag. 49. ſeqq.
(*a*) *De variis veterum medicorum oculariorum collyriis, quorum memoria in priſcis lapidibus inſcriptis adhuc ſupereſt.* Viteb. 1772. 4to.

quaſi manum admovit vir illuſtris, *Chriſtoph.* SAXE (*b*). Praeter haecce autem virorum inſignium ſcripta, *Petri* quoque WESSELINGII *de veterum medicis ocular iis obſervationem* habemus (*c*).

De medicis Aegyptiorum ocularius vidimus ſupra, et paulo ante Romanos etiam aliquos recenſuimus. Difficile vero fuerit, temporis aut conditionis rationem accuratius definire, qua fere primus apud Romanos ophthalmicus exſtiterit. Coegit forte homines vel ipſa oculorum neceſſitas ſumma atque praeſtantia, vel, ut in magnis urbibus fieri ſolet, numerus chirurgorum abundans, ut ſinguli ſingulis ſe partibus doctrinae ſuae dicarent. Quales iam CELSI (*d*) atque SCRIBONII (*e*) aetate ocularii fuerunt, quorum deinde numerus ita increvit, ut ſervos ac libertos non minus, quam ingenuos, immo multos adeo περιοδευτὰς, inter ipſos invenias, qui interdum ſua quoque *myſteria* habuere, ſive medicamenta aliqua, quae recondebant ſedulo et ſibi ſolis ſervabant (*f*). Etenim in omni quidem medica ſcientia, praeſertim vero ocularia, ita fere res ſunt comparatae, ut

Iactet

(*b*) *Epiſt. de veteris medici ocularii gemma Sphragide, prope Traiectum ad Moſam nuper eruta.* Trai. 1774 8vo mai. (pagg. 70.)

(*c*) in *Actis Societatis lat. Ienenſ.* Vol. III. pag. 48 ſeqq.

(*d*) CELSVS, lib. VI. cap. 6. nr. 8.

(*e*) cap. 4. comp. 38.

(*f*) WESSELINGIVS *obſerv. cit.* in.

„Iactet ſe medicum quivis idiota, ſacerdos,
„Iudaeus, monachus, hiſtrio, raſor, anus,
„Miles, mercator, cerdo, nutrix, et arator,
„Lamia, decoctor, pharmacopola, magus."

Neque in tanta tam mire diverſa atque mixta hominum iſtorum multitudine ullus hercle negabit, quamplurimos vel hodie adeo ubivis inveniri, qui lucri tantummodo cupidi artem praeſtantiſſimam mentiantur, et empirica ſua qualicunque ſcientia decipiant aegrotos. Multum tamen laudis veteribus iſtis medicis oculariis tribuere videtur WOOLHOVSIVS (*g*), quippe cuius fortaſſis intererat eos defendere. Quodſi ea vero, quae in DIGESTORVM libro quodam (*h*) verba leguntur, non in omnes, ſed in ſolos eius temporis ocularios, dicta fuerint, aeterna profecto infamiae nota ipſis inuſta manebit. Nulla enim lex danda inſontibus erat.

Ex his denique ὀχλαγωγοῖς atque circumforaneis illi quoque noſtri plerumque fuerunt, quorum nomina ex ſigillis novimus. „Is enim fere

(*g*) *de catar. et glaucom.* Edit. lat. Chr. le Cerf. pag. 306 ſeqq.

(*h*) lib. L. tit. XIII. *de extraord. cognit.* — „Si „medicus, cui curandos ſuos oculos, qui eis la„borabat, commiſerat, periculum amittendorum „eorum per adverſa medicamenta inferendo „compulit, ut ei poſſeſſiones ſuas contra fidem „bonam aeger venderet: incivile factum Praeſes „provinciae coerceat, rem que reſtitui iubeat." Ex VLPIANO.

„fere ipſis mos fuit, ut medicamenta praeparata „pyxidibus indita et ſignata per urbium fora cir„cumferrent ac divenderent (*i*)." *Sigilla* autem haecce, (vel, ut SAXIVS (*k*) mavult, cui quidem diſplicet nomen ſigilli, gemmae Sphragides,) ſolent lapides viridis eſſe coloris, atque opaci, quadrati, ſive, ut rectius loquar, ſex habentes latera plana, quorum duo quidem, ſuperius nempe atque inferius, ad quadrati formam accedunt, ad rectianguli vero caetera quatuor, quae inſcripta „etiam ſunt litteris inciſis Roma„nis, ductu inverſo a dextra ad ſiniſtram, ſic ut „iſtae, cerae impreſſae, rectae demum et more „conſueto a ſiniſtra ad dextram adpareant. „Quodvis latus ſingularem refert epigraphen, „*nomen* plerumque et *medicamentum* ocularii de„monſtrans (*l*)."

Ab ipſo inde tempore, quo primi tales lapilli (quorum iam *undeviginti*, quantum ego quidem ſcio, habemus) inventi ſunt, ingenue in explicandis iisdem ſuam fatebantur ignorantiam SMETIVS, *Nicol.* HEINSIVS, et *Gisbert.* CVPERVS. Deinde „a SPONIO et aliis pro *un„guentariae thecae operculis* habiti fuere." Quod recte tamen diſputant inter alios WALCHIVS atque SAXIVS, meliore iure *ſigilla* fuiſſe contendentes, quibus uſi fuerint medici ocularii ad ſignandas pyxides ſuas unguentarias.

Sed

(*i*) WALCH. *Ant. med. ſel.* pag. 29.
(*k*) *libr. cit.* pag. 13. ſeqq.
(*l*) Sunt verba WALCHII in *libr. cit.*

Sed de reliquo iſto argumento ipſos confe-ras ſupra laudatos virorum celeberrimorum li-bellos: nos quidem ea tantummodo hic diximus, quae fuerit nefas omiſiſſe. Iam ad ipſos ocula-rios noſtros revertimur. Sunt autem ſequentes:

TIBERIUS CLAUDIUS . . . . . . (*m*)
PUBLIUS COLIUS *Publii libertus* PHILO-GENES (*n*).
QUINTUS CLODIUS *Quinti libertus* NI-GER (*o*).
CNEIUS DOMITIUS DEMETRIUS (*p*).
MARCUS PEUTUCA (*q*).
CAIUS RUTILIUS EUTHETUS (*r*).
QUINTUS COLIUS *Quinti libertus* NICO-MEDES, Sexvir coloniae Iuliae Faneſtris (*s*).
TIBERIUS IULIUS *Auguſti et Auguſtae liber-tus* CUTISONUS (*t*).
CNEIUS HELVIUS *Cneii libertus* IOLLA (*u*).
SILICIUS (*v*).

PU-

(*m*) in inſcript. apud WALCHIVM (*loc. cit.* pag. 21 et 95.) ex MVRATORIO.
(*n*) ID. *ibid.* ex EOD.
(*o*) in inſcription. WALCH. ex REINESIO. Conf. RHODIVS *ad Scribon.* pag. 77.
(*p*) in inſcript. WALCH. ex FABRETTO.
(*q*) in inſcript. IDEM ex MAFFEIO.
(*r*) ID. ex FABRETTO.
(*s*) GRVTERI *Theſaur.* pag. CCCCXVI. nr. 8. WALCH. *l. c.* pag. 96.
(*t*) GRVTER. *ibid.* pag. DLXXXI. nr. 8.
(*u*) GRVTER. pag. DCXXXIV. nr. 2.
(*v*) IDEM pag. DCXXXV. nr. 3.

PUBLIUS NUMITORIUS *Publii libertus* ASCLEPIADES, Sexvir (*w*).

MARCUS LATINIUS HERMES, qui vixit annos quadraginta (*x*).

PUBLIUS DECIMIUS *Publii libertus* EROS MERULA, Medicus clinicus, chirurgus, ocularius; Sexvir. Libertatem atque Seviratum magna redemit pecunia, „eiusdem „que erogatae in publica commoda non „minimae pecuniae in marmore memo„rantur (*y*)."

ANONYMUS aliquis, cuius ſigillum in Gallia repertum haecce fere exhibet medicamenta (z):

Pſoricum, Crocodes, Aromaticum et Melinum.

Alter quidam ANONYMUS, cuius ſunt *lene, poſt aſpritudinem, poſt impetum,* et *ad caliginem* (*aa*).

CLAUDII *duo*, eorum que *Galbaneum ad cicatrices* (*bb*).

E 2 PHRO-

(*w*) IDEM pag. CCCCXLIII. nr. 4. RHODIVS *ad Scribon.* pag. 78.

(*x*) SPONII *Miſcell.* pag. 143.

(*y*) apud GRVTERVM, pag. CCCC. nr. 7. MVRATORIVM, pag. 474. nro. 7. ex WALCHIO cito. RHODIVS *ad Scribon.* pag. 78.

(*z*) Walch. *l. c.* pag. 52. ſeqq.

(*aa*) in ſigillo, apud EVND. *l. c.* pag. 91. ſeqq. ex *Comite* CAYLVS.

(*bb*) in ſigillo *Nemauſenſi.* Ita enim SAXIVS, WALCHIVS vero: „CLAVDII, legit, *Crocodes* „*Galbaneus ad cicatrices,*" (pag. 56. ſeqq.)

PHRONIMUS, quem fuiſſe libertum, atque primis forte ſaeculis poſt Chriſtum natum vixiſſe ſuſpicatur WALCHIUS. EIUSDEM ſunt (*cc*):

Diapſoricum opobalſamatum ad claritatem oculorum,

Diaſmyrnes poſt impetum lippitudinis ex oculo vulnerato,

Euodes ad aſpritudinem et cicatrices recentes,

Penicillus ad omnem lippitudinem.

CAIUS DURONICUS TETIUS, ſive (ut WALCHIUS legit) C. DURONIUS CTESIAS, cuius eſt *chelidonium ad caligines* (*dd*).

QUINTUS CAERELLIUS QUINTILIANUS. Huius ſunt (*ee*):

Stacton ad claritatem, *Dialepidos*, *Diaſmyrnon*, *Crocodes.*

PUBLIUS AELIUS THEOPHILETES, a WALCHIO neglectus. *Coenon ad claritatem; Stactum ad lippitudinem* (*ff*).

CAIUS

(*cc*) Vid. WALCHII *Sigillum medici ocularii Romani, in agro Ienenſi repertum.* Ien. 1763. 4to. recuſ. in EIVSD. *Ant. med. ſelect.* pag. 1. ſeqq. Conf. SAXE, *lib. cit.*

(*dd*) in fragmento pyxidis figulinae *Avenonienſi.* WALCHIVS, pag. 59. ſeqq.

(*ee*) in ſigillo reperto in Neuſtria inferiore. WALCH. pag. 61. ſeqq. ex MVRATORIO.

(*ff*) in Senenſi ſigillo apud SAXIVM, *l. c.* pag. 40.

CAIUS IULIUS DIONYSIODORUS et eiusdem *Diamiſus ad veteres cicatrices; Paccianum ad diatheſin* (gg).

CAIUS CAPIUS SABINIANUS, cuius eſt *Chloron ad claritatem; Nardinum ad impetum; Diapſoricum ad caliginem; Chelidonium ad claritatem* (hh).

MARCUS IULIUS CHARITO. Collyria ipſius haec ſunt: *Iſochryſon ad claritudinem; Diarrhodon ad fervorem; Diaſmyrnum ad epiphoras; Diapſaronium.* (ii) Num idem CHARITO οχλαγωγος GALENI (*kk*)?

CAIUS SULPITIUS HYPNUS, „peregrino „nomine libertinae conditionis homo (*ll*)." Eius *Stactum opobalſamatum; Crocodes dialepidos; Coenon ad claritatem; Lyſiponium ad ſuppurationes* (*mm*).

GAIUS STATIUS SABINIANUS, cuius eſt *Diakeratos ad epiphoras* (*nn*).

(*gg*) in ſigillo Veronenſi. WALCH. *l. c.* pag 69. ſeqq. ex MAFFEIO.

(*hh*) in ſigillo Genuenſi. WALCH. pag. 67. ſeqq. SAXIVS, pag. 32.

(*ii*) in ſigillo Divionenſi. WALCH. pag 70. ſeqq. ex MAFFEIO. SAXIVS, *l. c.*

(kk) *de antidot.* lib. II. cap. 91. ex ASCLEPIADE.

(*ll*) WESSELINGIVS *l. c.*

(*mm*) in ſigillo Sequanenſi. WALCH pag. 75. ſeqq. ex MVRATORIO.

(*nn*) in ſigillo Veſontino. WALCH. pag. 77. ex EOD.

MARCUS ULPIUS HERACLES, cuius duo quidem ſigilla exſtant, utraque *Noviomagi* inventa, in quibus haecce leguntur: *Lirinum* (vel Pyxinum); *Dierices* (διειριχες); *Diamyſus*; *Melinum*; *Stratioticum*; *Thalaſſeros ad* . . . .; *Diarrhodon ad impetum*; *Cycnarium ad impetum* (oo).

QVINTVS IVLIVS MVRRANIVS. Huius viri duo memorantur collyria, *Melinum ad claritatem*, et *Stactum opobalſamatum ad caliginem* (pp).

LVCIVS CINTVSMINVS BLANDVS, cuius ſunt *Euodes ad aſpretudinem*; *Diapſoricum opobalſamatum*; *Diaſmyrnes*; *Spongarium leniens* (qq).

„Nomen viri ſingulare eſt, peregrinitatis „que Francicae vel Alemannicae nonnihil, „maiorem certe, quam oris latini lenitas ferre poteſt, duritiem habet (rr).

LVCIVS SACCVS MENANDER. Eiusdem *Chelidonium ad caliginem*; *Melinum delacrymatorium*; *Thalaſſeros delacrymatorius*; *Diapſoricum ad ſcabritiem.* (ss)

DE-

(oo) WALCH. pag. 78. ſeqq. & 81. ſeqq. ex SMETIO et SPONIO. Conf. SAXE *l. c.*

(pp) in ſigillo Colceſtrienſi. WALCH. pag. 83. ſeqq. ex CHISHVLL. SAXIVS, *l. c.*

(qq) in Lugdunenſi ſigillo. WALCH. pag. 85. ſeqq. ex *Gentleman's Magazine*, 1754.

(rr) SAXIVS, *l. c.* pag. 56.

(ss) in Veſontino ſigillo. WALCH. *l. c.* pag. 89. ſeqq. ex *comite* CAYLVS. Conf. SAXIVS.

DECIMVS FLAVIANVS, cuius ſigillum exhibet *collyrium lene ad aſpritudinem oculorum*, et *collyrium mixtum* . . . . (*tt*).

§. 23.

Scribonius Largus. Florus.

Και ταυτα μεν δη ταυτα. Iam vero, ut ibi pergam, ubi deſieram, in tempora TIBERII liceat Vos reduxiſſe, Lectores. Inter eos nempe, qui ipſi coaevi fuere, et quorum iam ſupra quosdam recenſuimus, SCRIBONIVS quoque LARGVS eſt, quippe qui illo imperante medicam artem profeſſus ſit (*uu*). Diſcipulus is fuit APVLEII CELSI atque TRYPHONIS. Multas collegit collyriorum formulas in opuſculo ſuo, cui titulum fecit *de compoſitione medicamentorum*, et multum ſe elaboraſſe dicit (*vv*), ut veras et incorruptas eorumdem compoſitiones acciperet. Plura IPSIVS medicamenta nobis GALENVS ſervavit, ex quibus vero ſola oculorum collyria hic indicabimus: *Aſclepios Machaonis*, *Pſittacinum*, et *aliam* tandem *compoſitionem ad viſus acumen* (*xx*).

(*tt*) in fragmento ſigilli Pariſienſis. WALCHIVS (pag. 90 ſeqq. ex EOD.) legit DEC. PVBLIVS FLAVIANVS.

(*uu*) HAMBERGERS *zuverläſſige Nachrichten*, Band II. pag. 38.

(*vv*) compoſ. 38.

(*xx*) GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. IV., cap. 7. ex ASCLEPIADE.

FLORI *collyrium* (yy) ANTONIAE profuit, quae parum aberat, ut ab aliis medicis excaecaretur. ANTONIA illa, *minorem* plerumque dicunt, MARCI ANTONII *Triumviri* ex Octavia, ſorore Auguſti, filia fuit, NERONIS CLAVDII DRVSI GERMANICI coniux, atque mater DRVSI; TIBERII puta CLAVDII DRVSI, qui poſt CALIGVLAM Imperator deinde factus eſt (zz).

§. 24. (a)

Demoſthenes. Dioſcorides. Lecanius Areus.

Sub NERONE vixit (b) DEMOSTHENES *Maſſiliota*, diſcipulus ALEXANDRI *Philalethis*, *Philalethes* et ipſe cognominatus. Cuius quidem *tres* erant *libri* *περὶ ὀφθαλμῶν*, ex qui-

(yy) ASCLEPIADES apud GALENVM, *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. Unde repetiit AETIVS, lib. VII. cap. 108. AVICENNA quoque idem laudat medicamentum, teſte HALLERO in *Bibl. chirurg.* Tom. I. pag. 37.

(zz) Conf. AENEAE VICIPARMENSIS *Imagines Auguſtarum*, pag. 59.

(a) MARINVM, qui libros *Anatomicorum* viginti conſcripſit, in quibus de oculis quoque egit, ὡς ἐν παρόδῳ hic indicaſſe ſufficiat. GALENVS epitomen inde confecit quatuor librorum, qui et ipſi tamen, una cum MARINI libris, hodie deſiderantur. Vid. GALEN. *de libr. propr.*

(b) Cf. MENAGE *Anti-Baillet*, cap. 20.

quibus plura loca repetiit AETIVS, ut *de oculorum inflatione* (*c*): *de illabentibus in oculum animalculis, aut paleis, aut arena* (*d*): *de oculorum debilitate* (*e*): *de obfuſcatione oculorum* (*f*): *de ſuffuſione* (*g*): *de everſione palpebrae* (*h*): *de lagophthalmis* (*i*): *et de lippitudine dura* (*k*). Alium quemdam locum DEMOSTHENIS *de chemoſi* habet ORIBASIVS (*l*). — Varia quoque medicamenta IPSIVS ſuperſunt, ex quibus huc pertinent *cataplaſma* ad dolores et prolapſus oculorum (*m*); *collyrium ſpodiacum* (*n*); *ad veteres oculorum adfectiones* (*o*); *chiacum* (*p*); *aromaticum* (*q*); *diacenteton* (*r*); *liquidum* (*s*); atque *Nileum* (*t*).

(*c*) AET. lib. VII. cap. 12.
(*d*) *ibid.* cap. 16.
(*e*) *ibid.* cap. 44.
(*f*) *ibid.* cap. 48.
(*g*) *ibid.* cap. 51.
(*h*) *ibid.* cap. 71.
(*i*) *ibid.* cap. 73.
(*k*) *ibid.* cap. 74.
(*l*) *Synopſ. ad* EVSTATH. lib. VIII. in STEPHANI *art. med. princ.* pag. 129.
(*m*) AETIVS lib. VII. cap. 96.
(*n*) ID. *ibid.* cap. 105.
(*o*) ORIBAS. *Synopſ. ad* EVST. lib. III. in STEPHANI A. M. P. pag. 52.
(*p*) AETIVS, lib. VII. cap. 109. ex APOLLONIO.
(*q*) ID. *loc. cit.*
(*r*) ID. *ibid.* cap. 111.
(*s*) ID. *ibid.* cap. 99.
(*t*) Sive *Nileum ex roſis.* Sunt nempe eadem: ORIBAS. *Syn. ad* EVST. lib. III. in STEPHANI *art. med. princ.* pag. 50.

Eodem fere imperante NERONE vixit etiam PEDANIVS DIOSCORIDES (*u*), *Anazarbeus*, qui in libris *de materia medica* non pauca quidem habet ad medicinam ocularium ſpectantia In *Euporiſtis*, quae vulgo tribuuntur EIDEM, *de oculorum affectorum remediis* egit auctor (*v*). Locum EIVSDEM *de cataplaſmatis oculorum lippientium* apud AETIVM (*w*) invenio.

Aequalis DIOSCORIDI fuit LECANIVS AREIVS (*x*), *Tarſenſis* (*y*), *Aſclepiadeus* (*z*), quippe cui libros ſuos ille inſcripſit. Itaque hic quidem *libris quibusdam* propria pharmaca collegit, in quibus inter alia APOLLONII quoque, quem ſupra memoravimus, *Phoenicem* mutavit, cuius medicamenti ita correcti formulam videas apud GALENVM (*aa*).

§. 23.

(*u*) HAMBERGERS *zuverläſſige Nachrichten* &c. Th. II. pag. 82.

(*v*) lib. I. nr. 27—57.

(*w*) lib. VII. cap. 96.

(*x*) GALEN. *compoſ. ſec. gen.* lib. V. cap. 9. ex ANDROMACHO.

(*y*) ID. *comp. ſec. loc.* lib. III. cap. 1. et lib. IX. cap. 2 ex ASCLEPIADE.

(*z*) ID. *ibid.* lib. IV. cap. 7. ex EOD.

(*aa*) *loc. cit.*

§. 25.

Citati ab Andromacho.

CANDIDVS (*bb*), cuius *collyrium nardinum* (*cc*).

Ex APHRODAE libris plura medicamenta recitarunt ANDROMACHVS atque ASCLEPIADES, unde eadem deinde repetiit GALENVS. Eiusmodi fere eſt *Catapotium*, oculis quoque conveniens (*dd*).

MOSCHION (*ee*), γνώριμος dictus ASCLEPIADI *iuniori* (*ff*), huius, ſi fidem habeas interpretibus, fuit *familiaris*. Mihi vero liceat, ad ea lectores remittere, quae ſupra obſervavi, ubi de PTOLEMAEO *Chirurgo* differerem (*gg*). Quid enim obſtat, cur *celebris* vocari MOSCHION non meruerit, qui, cum ASCLEPIADIS *Bithyni* ſcripta quaedam correxiſſet, honorificum διορθωτοῦ cognomen adeptus ſit (*hh*), cuius que libros *de ornatu* et *de morbis mulierum* ſaepius laudatos videas? EIVSDEM eſt *collyrium*

(*bb*) apud GALEN. *comp. ſec. gen.* lib. VI. cap. 10.
(*cc*) AETIVS lib. VII. cap. 113.
(*dd*) GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. VII. cap. 5. ex ANDROMACHO.
(*ee*) apud GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. VII. cap. 2.
(*ff*) apud EVNDEM, *loc. cit.* lib. IV. cap. 7.
(*gg*) §. 19.
(*hh*) GALEN. *de different. pulſ.* lib. IV. cap. 16. Conf. FABRICIVS in *Bibl.* Gr. Vol. XIII. Locum AETII, (lib. IV. cap. 13.) a FABRICIO citatum, invenire non licuit.

rium ad epiphoras et dolores oculorum (*ii*). — Num idem THEODORVS MOSCHION, ex cuius libro quinquageſimo octavo remedium ad comitiales recitat ALEXANDER *Trallianus* (*kk*)?

BERYTIVS (*ll*), quem STRATONEM *Berytium* vocat, neſcio qua auctoritate, Interpres quidam (*mm*) GALENI, cuius veſtigiis ipſe HALLERVS parum caute inſiſtit (*nn*). Itaque ego, cum adhuc ſub iudice lis ſit, BERYTIVM putaverim nomen eſſe proprium, ut FLORENTINVM et TARENTINVM in *Geoponicis* (*oo*). Duobus praeterea aliis locis EVNDEM noſtrum dictum

(*ii*) GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7.

(*kk*) lib. I. cap. 15.

(*ll*) apud GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. IX. cap. 5. in.

(*mm*) *de comp. med. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. in *Opp. edit. lat.* Baſil. 1562. (Claſſ. V. pag. 309.) In *graeca* quidem eorumdem *edit.* Baſil 1533. (Tomo II. pag. 212) non addito STRATONIS vocabulo, ita legitur: „— Βηρυτιον, ὡ εχρησατο Βηρυτιος caet." Neque STRATONEM aliquem hic agnoſcit *editio prior lat.* Baſil. 1549. Adiectum fuiſſe ſuſpicor nomen STRATONIS in *edit. lat.* Baſil 1562. a *Nicol.* MACCHELLO, quippe qui libros GALENI, *de comp. medic. ſec. locos*, a *Iano* CORNARIO translatos, ad veterum Graecorum codicum fidem emendaverit: quod ſumme tamen improbavit CORNARIVS, cui ſi fidem habeas, parum auctoritatis MACCHELLI emendationibus erit tribuendum. Conf. *Conr.* GESNERI *medic. inſtaurat. nomenclator*, praefixus Tom. I. *edit. lat. Opp.* GALENI, Baſil. 1562 ſub *Iano Cornario* et *Nicol. Macchello.*

(*nn*) *Bibl. chirurg* Tom I. pag 73

(*oo*) *edit.* NICLASII, *Prolegom.* pag. 73 et 53.

dictum invenio apud GALENVM (*pp*), ubi alterum aliquod nomen adiunctum non vidi. EIVS eſt *cataplaſma ad epiphoras*, *Berytium* ab ipſo auctore nominatum (*qq*).

ZOiLVM *ophthalmicum* (*rr*) prioris forte aevi fuiſſe non male ſuſpiceris (*ss*). EIVSDEM varia ſunt collyria apud GALENVM (*tt*), ut *Sphragis*, quae cum PACCII Sphragide concordat; *viride*, cuius duae ibi recenſentur compoſitiones diverſae; et *aliud* ad lippitudines, ſtaphylomata, caet. Quorum quidem poſterius idem forte fuerit cum EIVSDEM *collyrio nardino*, cuius praeter ALEXANDRVM (*uu*) etiam meminit AETIVS (*vv*), qui paullo aliam tamen, quam ille, medicamenti iſtius compoſiticnem exhibet (*xx*). EIVS ipſius denique eſt *collyrium Nicarium ex lacte nardinum* (*yy*), natum fortaſſis ex priore.

MELITVS, cuius libros ANDROMACHVS laudat apud GALENVM (*zz*), oculorum ſuffuſio-

(*pp*) *comp. ſec. loc.* lib. IX. cap. 5. (*Op. edit. lat.* Baſil, 1562. Claſſ. V. pag. 408 et 410.)
(*qq*) ID. *ibid.* lib. IV. cap. 7. ex ASCLEPIADE.
(*rr*) apud EVND. *comp. ſec. loc.* lib. III. cap. 1.
(*ss*) ex aliquo ASCLEPIADIS loco, apud GALEN. *Antidot.* lib. II. cap. 85.
(*tt*) *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. ex ASCLEPIADE.
(*uu*) lib. II. cap. 5.
(*vv*) lib. VII. cap. 11.
(*xx*) lib. VII. cap. 113.
(*yy*) ID. *ibid.*
(*zz*) *comp. ſec. loc.* lib. VI. cap. 1. in fine.

ſuſiones felle hominis ſanari ſcripſit, teſte PLINIO (*a*).

LVCIVS ſupereſt, forte *Tarſenſis* (*b*), praeceptor ASCLEPIADIS (*c*) *Pharmacionis*, cuius ex ſcriptis, ab ANDROMACHO laudatis (*d*), plura reperies medicamenta apud GALENVM, quorum tamen huc tantummodo pertinent *Diarrhodon magnum* (*e*) atque *Melinum* (*f*).

§. 26.

Andromachus iunior.

Ipſe ANDROMACHVS, ANDROMACHI maioris filius, cuius quidem patris nomen et hodie in pharmacopoeis noſtris, una cum theriaca ab eo inventa, celebratur, NERONIS Imperatoris fuit archiater. Scripſit libros *medicamentorum tres*, quorum *primo* externa tradidit, *altero* interna, *tertio* denique ea, *quae adhibenda ſint oculis* (*g*). Mireris, GALENVM, tametſi

(*a*) *Hiſtor. natur.* lib XXVIII. cap. 1.

(*b*) GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. IX. cap. 5. ex ANDROMACHO.

(*c*) ID. *comp. ſec gen.* lib II. cap. 9. lib. III. cap. 11. caet. ex ipſo ASCLEPIADE.

(*d*) apud GALEN. *comp. ſec. loc.* libr. et cap. cit.

(*e*) GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. Repetiit deinde ACTVARIVS, *meth. med.* lib. VI. cap. 5.

(*f*) GALEN. *ibid.*

(*g*) GALEN. *compoſ. ſec. gen.* lib. I. cap. 22. in fine, et lib. II. in. Conf. ID. *comp. ſec. loc.* lib. VI. cap. 4.

tametſi plurima de ocularíis medicamentis ex ARCHIGENE et ASCLEPIADE loca nobis ſervarit, ex iſto tamen ANDROMACHI libro ne unum quidem, quantum ego memini, locum recitaſſe. Exſtat, unico fere exemplo, ANDROMACHI *Aegyptia* apud GALENVM (*h*), qua contra lippitudinem quoque utaris.

§. 27.

Theodorus. C. Plinius Secundus. Heginus. Aretaeus. Caelius Aurelianus. Plutarchus. C. Luccius Alexander.

THEODORVM quendam, qui *bulbos* oculis illinens lippitudini medebatur, a PLINIO (*i*) memoratum obſervo. Num idem ATHENAEI, ASCLEPIADI *Bithyno* (*k*) coaevi, diſcipulus, cuius meminit DIOGENES LAERTIVS (*l*)?

Ipſius CAII quoque PLINII SECVNDI innumera fere loca ſunt, in altera quadam libelli noſtri parte, quae palaeologian medicinae ocu-lariae comprehendet, haud negligenda.

HEGINVM quendam, qui *infeſtos oculis pilos urebat*, MARTIALIS profert (*m*)

ARE-

(*h*) *comp. ſec. gen.* lib. III. cap. II. ex ASCLEPIADE.
(*i*) *Hiſtor. natur.* lib. XX cap. 9.
(*k*) FABRICII *Bibl. Gr.* Tom XIII pag 93.
(*l*) lib. II. cap. 8. in vita ARISTIPPI, in fine.
(*m*) *Epigramm.* lib. X. 56.

ARETAEVS *Cappadox* incertae quidem aetatis eſt, eo tamen tempore vixiſſe videtur, quod medium fere fuit inter NERONEM et TITVM, Auguſtos (*n*). EIVS huc ſpectat locus aliquis, quo, dum *de nervorum reſolutione* agit (*o*), varia ſimul explicat vitia oculorum.

In idem fere tempus SORANI quoque *Epheſii* aetas incidit, quippe cuius medicamentum quoddam valde laudet ARCHIGENES (*p*), a quo tamen procul abfuiſſe forte non potuit noſter, cum ipſe MOSCHIONIS fecerit mentionem (*q*), ab ANDROMACHO quoque commendati. Neqne hoc vero loco eum dicam, quem inter ocularios medicos a nemine relatum eſſe ſcio, niſi cum eo ſimul coniungendus ſit CAELIVS AVRELIANVS, cuius loca nonnulla (*r*), rem forte noſtram illuſtrantia, inveni, aetas vero ignoratur, qui SORANI tamen libris frequentiſſime uſus eſt.

Horum in numero PLVTARCHVM etiam *Chaeronenſem* ponere liceat, qui ipſo imperante iam VESPASIANO (*s*) floruit, non ut medicum ocularium fuiſſe eum putem, ſed quia habet ali-

qua

(*n*) HAMBERGERS *zuverläſſige Nachrichten*, caet. Th. II. pag. 146.

(*o*) *Diut. morb.* lib. I. cap. 7.

(*p*) teſte AETIO, lib. VI. cap. 55.

(*q*) apud GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. I. cap. 1.

(*r*) *Acutor.* lib. II. cap. 13 et 32. lib. III. cap. 14. *Tardor.* lib. I. cap. 2. lib. II. cap. 1. lib. IV. cap. 2

(*s*) HAMBERGERS *zuverl. Nachrichten*, Th. II. pag. 292.

qua (*t*), unde non male forte cognoveris, qualis fuerit tunc temporis medicinae ophthalmicae ratio.

Agmen tandem hocce claudat CAIVS LVCCIVS ALEXANDER, ocularius, et agyrta ſine dubio, aeque ac caeteri fuere, quos ſupra (*u*) memoravimus. EIVS *ſigillum*, prope *Traiectum ad Moſam* inventum, deſcripſit SAXIVS (*v*), cui iſte quidem homo videtur libertus et praeſto fuiſſe cohortibus *Claudii Labeonis*, qui *Claudio Civili* occurſurus pontem Moſae fluminis anteceperat, ut auctor eſt TACITVS (*w*). Quae ſi ita ſe habeant, VESPASIANI aevo eundem vixiſſe, adparet. IPSIVS in ſigillo memorantur *Dialepidos* ad aſpretudinem, *Lene* ad omnem lippitudinem, *ad caligines et ſcabritias* omnes, et *Crocodes* ad aſpritudines.

§. 28.

Thoephilus, a Severo citatus.

THEOPHILI cuiusdam *medicamentum liquidum* ad ſycoſin palpebrarum ex SEVERO memoriae prodidit AETIVS (*x*). *Theophilium collyrium* IDEM laudat apud EVNDEM (*y*).

§. 29.

(*t*) PLVTARCHI *Opera*, Frfti. 1620. fol. Tom. II. pag. 490 515. 559. 599. 625 ſeqq. 659. 681. 901.
(*u*) § 22.
(*v*) in ſingulari quodam libello, indicato ſupra §. 22.
(*w*) *Hiſtoriar.* lib. IV. cap. 66.
(*x*) lib. VII. cap. 43.
(*y*) *ibid.* cap. 42.

§. 29.

Severus, cum aliis ab Archigene et Aſclepiade nominatis.

Sub iſto enim nomine plures coniungere cogor, quos vel paullo ante ASCLEPIADEM atque ARCHIGENEM, vel ipſorum certe temporibus vixiſſe, inde fere colligas, quod a nemine prioris quidem aetatis eos videas laudatos. Praeterea vix quidquam EORVM, niſi nomina cum medicamentis quibusdam, ſupereſſe intelliges.

Itaque primum hic locum teneat SEVERVS, quem poſt ARCHIGENEM collorat ill. HALLERVS (*z*), licet ante ipſum poni debeat, cum et EIVSDEM medicamentum aliquod GALENVS ex ARCHIGENE recitaverit (*), et alii cuidam compoſitioni EIVS aliquid admiſcuerit ARCHIGENES (*aa*). Neque temere porro poſſum adſentire ſententiae FABRICII, qui SEVERO noſtro alterum aliquod THEODOTII nomen tribuit (*bb*); nec SEVERIANVM novi, quem, diverſum quidem ab homine noſtro, IDEM in ſcenam producit (*cc*). Impoſuere nempe viro doctiſſimo loca quaedam AETII (*dd*), vel perperam explicata, vel in ipſo for-

(*z*) *Bibl. chirurg.* Tom. I. pag. 75.
(*) *comp. ſec. loc.* lib. III.
(*aa*) AETIVS. lib. IX. cap. 34. in.
(*bb*) *Bibl. Gr.* Vol. XIII. pag. 433.
(*cc*) *ibid.* pag. 394.
(*dd*) vid. paullo infra, ſub ipſo SEVERO, not. (*ee*) et (*ii*).

forte Graeco exemplari (quod, dum haec ſcribo, ad manus non eſt,) incuria librariorum corrupta.

Collyrium Severianum calliblepharon apud GALENVM (*ee*) exſtat. Aliud SEVERI *collyrium* ad oculorum et palpebrarum pulchritudinem AETIVS habet (*ff*). *Aliud* denique EIVSDEM ad angulos calidiores et rubicundos atque exaſperatos, AETIVS (*gg*). *Album et tenerum* SEVERI *collyrium* (*hh*), et *Theo-*

F 2 *dotium*

(*ee*) *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 6. ex ASCLEPIADE. Idem fere cum eo, quod AETIVS deſcripſit, lib. VII. cap. 98. (edit. *Froben.* 1549. pag. 371 lin. 29) cuius aliam quoque, paullo ad GALENI mentem propius accedentem, formulam idem auctor repetiit, lib. et cap. cit. (pag. 372. lin 24.)

Utroque iſto AETII loco collyrium hocce dicitur *Severiani*, unde erros FABRICII natus, Ipſe vero AETIVS alio quodam loco (lib. VII. cap. 43.) vocat *Severianum.*

Idem eſt *pulvis Severius* ad viſus acumen ALEXANDRI *Tralliani,* lib. II. cap. 5.

(*ff*) lib. VII. cap. 98. (*edit. cit.* pag. 371. lin. 1.) ex GALENO.

(*gg*) l. c. (pag. 371. lin. 28.) ex GALEN.

(*hh*) lib. VII. cap. 60 et 102. ex ipſo SEVERO. Neque aliud eſſe videtur *Severianum*, quod, compoſitionis tamen formula non indicata, inter delicata collyria ponit PAVL. *Aegin.* lib. III. cap. 22. cuius que meminit ACTVARIVS, *Meth. med.* lib. IV. cap. 11. non ſemel.

dotium EIVSDEM (*ii*), apud eundem auctorem inveneris.

Multa SEVERI loca AETIVS in libros ſuos transtulit, ut *de communi ulcerum in oculis curatione* (*kk*): *de carbunculis in palpebris* (*ll*): *de oculorum curatione in pueris* (*mm*): *de aſpritudinibus, ſycoſi que et callis* (*nn*): *de Aegilope* (*oo*): *de arteriarum ſectione in capite* (*pp*): *de muſculorum temporum cataplaſmatis, agglutinatoriis atque illitionibus* (*qq*): *de totius capitis illitionibus* (*rr*): *de collyriis ſiſtentibus* (*ss*).

AN-

(*ii*) lib. VII. cap. 27. ubi quidem legitur: „collyrium *Theodotii* Severi, caet." Qui locus in alium errorem induxit FABRICIVM, quamvis apud ipſum AETIVM, pluribus aliis locis idem collyrium *Theodotium Severi* dictum invenias, ut lib. VII. cap. 32 33. 39. 59. 61. 113. caet.

Neque talis interpretum inconſtantiae alia ſimilia exempla diu quaeſiveris, ſi duorum quorumdam eiusdem AETII locorum memineris, quae paullo ſupra, *not.* (*ee*), fuere indicata.

(*kk*) lib. VII. cap. 15.

(*ll*) *ibid.* cap. 30.

(*mm*) *ibid.* cap. 42.

(*nn*) *ibid.* cap. 43.

(*oo*) *ibid.* cap. 85.

(*pp*) *ibid.* cap 90.

(*qq*) *ibid.* cap. 94.

(*rr*) *ibid.* cap. 95.

(*ss*) *ibid.* cap. 102.

ANTAEI, ſive, ut in Graeco exemplari legitur (*tt*), ANNAEI *collyrium viride* GALENVS habet ex ASCLEPIADE (*uu*).

ANTIGONVS, qui in caſtris exercitus inſignis medicus fuit (*vv*). EIVSDEM eſt *Croceum*, *Leontarium* adpellatum propterea, quod leonis imago ei imprimeretur (*xx*); *ſphragis; collyrium nigrum*, et *achariſtum theodotium* (*yy*).

CAIVS *Neapolita* (*zz*), ophthalmicus (*a*), quem et praeciſe *Neapolitam* dictum invenies (*b*), plura compoſuit medicamenta ocularia, quae haec fere ſunt: *Cataplaſma* ad dolores et fluxus largos (*c*); *Sphragis* ad eosdem (*d*): *medicamentum* ad ophthalmiam et chemoſin (*e*); *collyrium; Phanion;* et aliud denique *collyrium* ex

 cornu

(*tt*) *Opp* edit. Baſil. 1538. Tom. II. pag. 215.

(*uu*) GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. ex ASCLEPIADE.

(*vv*) ID. *comp. ſec. loci* lib. II. cap. 2. ex ASCLEPIADE.

(*xx*) ID. *ibid* lib. IV. cap. 7. ex EOD.

(*yy*) MARCELLVS *Empiricus*, cap. 8.

(*zz*) GALEN. *comp. ſec. gen.* lib. V. cap. 7. ex ASCLEP.

(*a*) ID. *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. ex EOD.

(*b*) apud GALENVM, pluribus locis, ut *comp ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. *comp ſec. gen* lib. V. cap. 6. caet. ex ASCLEPIADE.

(*c*) GALEN. *comp. ſec. loc* lib. IV. cap. 7. ex ASCLEPIADE.

(*d*) ID. *ibid.* ex EOD.

(*e*) ID *ibid* ex EOD repetiit ACTVAR. *Meth. med.* lib. VI. cap. 5.

cornu cervino (*f*). EIVSDEM *ad palpebrarum defluvia* medicamentum PAVLVS *Aegineta* exhibet (*g*).

CAPITO ophthalmicus (*h*), cuius ſunt *collyrium* ad lippitudines ſiccas et palpebras ſicoſas (*i*), et *aliud* ex lapide haematite ad ſcabritiem palpebrarum (*k*).

CHARIXENIS mentio fit apud GALENVM, qui aliqua EIVSDEM medicamenta ex ASCLEPIADE laudat, e quibus huc quidem ſola pertinet *arteriaca*, leniens et oculorum dolores (*).

DIOMEDIS *Lyſiponion* et *Aerianum* ASCLEPIADES commendant apud GALENVM (*l*).

EVEMERI varia collyria GALENVS habet (*m*), ut medicamentum *ad dolores et affectiones oculorum; ad cicatrices et callos; aliud* ad eadem; et *pſoricum.*

GALLIO ophthalmicus, qui *collyrium* NILI *ex roſis* paullum mutavit (*n*).

GENNADIVS, cuius eſt *collyrium* (*o*).

GLAV-

(*f*) GALEN. l. c. ex ASCLEPIADE.
(*g*) lib. III. cap. 22.
(*h*) GALEN *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 6. ex ASCLEPIADE.
(*i*) ID. *ibid.* ex EOD. AETIVS, lib. VII. cap. 77.
(*k*) GALEN loc. cit. ex EOD.
(*) GALEN. comp. ſec. loc. lib. VII. cap. 2.
(*l*) *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7.
(*m*) *compoſ. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. ex ASCLEP.
(*n*) ID. *ibid.* ex EODEM.
(*o*) ID. *ibid.* ex EOD.

GLAVCVS. Eiusdem *cataplaſma* ad lippitudinem et dolores oculorum (*p*).

HERMEIAS ophthalmicus, qui ἀφρὸν ὕδατος, poſt dropaciſmum illitum, optime in triachiaſi conducere auctor erat (*q*), cuius que λουτρὸν ad lippitudines inveteratas et maximos oculorum dolores GALENVS ex ASCLEPIADE recitat (*r*).

HERMOPHILI *collyrium Thalaſſerum* (*s*).

LYCOMEDIS *confectio*, leniens dolorem, et oculorum fluxiones reſiccans, GALENO laudatur ex ASCLEPIADE (*).

MARCVS, cuius *nectarium* apud GALENVM (*t*) invenio. Num idem forte GALLVS MARCVS, *Aſclepiadeus*, cuius alio loco (*u*) mentio fit?

NAVCRATITES. Nomen patriae, ut FABRICIO quidem placet (*v*), non medici. IPSIVS eſt *collyrium* (*w*).

(*p*) ID. *ibid.* ex EOD.
(*q*) GALEN. *ibid.* cap. 8. ex ARCHIGENE.
(*r*) *ibid.* cap. 7.
(*s*) GALEN. *loc. cit.* ex ASCLEPIADE, unde repetiit AETIVS, lib. VII. cap. 110.
(*) *compoſ. ſec. loc.* lib. VII. cap. 5.
(*t*) *compoſ. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. ex ASCLEPIADE.
(*u*) ID. *ibid.* lib. VIII. cap. 5. ex EOD.
(*v*) *Bibl. Gr.* Vol. XIII. pag. 344.
(*w*) GALEN. *compoſ. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. ex ASCLEPIADE.

NICETES, cuius eſt *pharmacum ex galbano* ad dolores et lipitudines (*x*).

OLYMPIONICI *medicamentum oculare fuſcum* (*y*).

PAPIAS, *Laodicenſis*, AVTOLYCI medicus, quomodo *trichiaſin* curaverit, GALENVS ex ARCHIGENE refert (*z*).

PHAEDRI *Rhinion* (*a*).

PHILIPPVS, qui in Caeſaria vixiſſe videtur. EIVSDEM eſt *compoſitio liquida* ad oculos (*b*).

PHILOTAE *aphroditarium* ad oculos ASCLEPIADES commemorat apud eundem GALENVM (*c*). Duo quidem huius nominis viros invenio, alterum M. ANTONII medicum (*d*), alterum ſodalem CRITONIS (*e*). Uter fuerit ille, quem hic intelligit ASCLEPIADES, aliorum iudiciis coniecturaeque committo.

PYRAMI *pharmacum* ad callos et cicatrices oculorum (*f*).

SER-

(*x*) ID. *ibid.* ex EOD. ACTVARIVS. *Meth. med.* lib. VI. cap. 5.
(*y*) ID. *ibid.* ex EOD. AETIVS, lib. VII. cap. 102.
(*z*) *compoſ. ſec. loc.* lib. IV. cap. 8.
(*a*) GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. ex ASCLEPIADE.
(*b*) ID. *ibid.* ex EOD.
(*c*) *compoſ. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7.
(*d*) apud PLVTARCHVM, in *Antonio.* (Opp. edit. Frft. 1620. Tom. I. pag. 928.)
(*e*) apud GALEN. *compoſ. ſec. loc.* lib. III. cap. 7. ex CRITONE.
(*f*) ID. *ibid.* ex EOD.

SERGIVS *Babylonius*, ophthalmicus, cuius *cataplaſma* ad oculos dolentes, et *monohemerum* GALENVS recenſet (*g*).

SOSANDER, cuius *medicamentum* ad palpebrarum defluvia, caet. GALENVS habet (*h*), ex quo repetiit AETIVS (*i*).

STOLVS *Britannicus*, αξιος οφθαλμικος (*k*). EIVSDEM *collyrium cinnabarium* (*l*).

TERENTIVS, cuius eſt *diarrhodon* (*m*). Num idem forte TERENTIVS VALENS, cuius alio loco (*n*) GALENVS meminit? Hoc ſi ſtatuas, eundem putes eſſe antiquiorem, quippe cuius remedium colicum GALENVS laudet ex ANDROMACHO.

ZOSIMI *collyrium odorum* ad ophthalmiam (*o*).

§. 30.

Familiares Aſclepiadis.

Cum his quidem ſuperioribus eos coniungo, quos ipſo iunioris ASCLEPIADIS tempore

 vixiſſe,

(*g*) ID. *ibid.* ex EOD.

(*h*) *compoſ. ſec. loc.* lib. IV. cap. 6. ex ASCLEPIADE

(*i*) lib. VII. cap. 78.

(*k*) Hinc lepidus error clar. MATTHIAE (in *Conſp. hiſtor. medicor.* pag. 21.) cui dicitur AXIVS *ocularius.*

(*l*) GALEN. *compoſ. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. ex ASCLEPIADE.

(*m*) ID. *ibid.* ex EOD.

(*n*) *compoſ. ſec. loc.* lib. IX. cap. 4.

(*o*) ID. *ibid.* lib. IV. cap. 7. ex ASCLEPIADE.

vixiſſe, et eo familiariter uſos fuiſſe, certum eſt. Sed cum ex numero eorum exemerim, quos vulgo, dubio tamen iure, huc referunt, PHILOXENVM atque MOSCHIONEM, unus fere hac nobis loco conſiderandus ſupererit POMPONIVS BASSVS, aliarum quoque partium medicus (*p*), nec ambiguo aliquo vocabulo ἑταῖρος ab ASCLEPIADE (*q*) adpellatus. Huius igitur varia a variis auctoribus commemorantur remedia oculorum, *collyrium Artemonium* (*r*), *cnicus flavus* (*s*), *liquida* ad oculos ſuppuratos *compoſitio* (*t*), et *collyrium* ad incipientem ſuffuſionem (*u*).

§. 31.

Aſclepiades Pharmacion. Archigenes. Crito. Rufus Epheſius.

Quibus omnibus recenſitis ad ipſum ASCLEPIADEM nunc progredimur, recentiorem, et ab antiquo illo Bithyno diſtinguendum cognomine

(*p*) vid. GALEN. *compoſ. ſec. gen.* lib. VII. plus uno loco.

(*q*) apud GALEN. *compoſ. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7.

(*r*) GALEN. *comp. ſec. loc.* l. c.

(*s*) ORIBASIVS *Synopſ. ad* EVST. lib. III. in STEPHANI *art. med. princ.* pag. 49.

(*t*) AETIVS, lib. VII. cap. 99. ex ORIBASIO.

(*u*) GALEN. *compoſ. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. ex ASCLEPIADE.

mine *Pharmacionis* (Φαρμακιωνος) (*v*), quod propter conſcriptos a ſe decem *de compoſitionibus medicamentorum* libros erat forte conſecutus. Quinque nempe EIVS erant libri *externorum*, quos cunctos Marcellas (*w*), et alii *internorum* quinque, quos Mnaſones (*x*) inſcripſerat, praeter θηριακους atque γυναικειους (*y*). Quorum loca permulta, cum integra ipſa haecce volumina deperdita ſint, GALENVS nobis ſervavit. In *primo externorum libro* quamplurima et ſua et aliorum medicamenta ocularia recenſuit (*z*), quae

(*v*) GALEN. *de ſimplic. medicamentor. facultat.* lib. X. cap. 18. *compoſ. ſec. gen.* lib. IV. cap. 4. lib. I. cap. 22. caet.

(*w*) GALEN. *compoſ. ſec. gen.* lib. I. cap. 22. in fine, et cap. 23. in. lib. II. cap. 8. lib. III. cap. 11. lib. VII. cap. 4. *compoſ. ſec. loc.* lib. III. cap. 4. lib. IV. cap. 6. lib. X. cap. 2 et 3. Quibus locis omnibus inter ſe comparatis, nec ſolum *quartum* librum Marcellae inſcriptum fuiſſe adparet, ut aſſerit ill. HALLERVS, (*Bibl. chirurg.* Tom. I. pag. 76); nec difficile fuerit, alium quendam GALENI locum, (*compoſ. ſec. loc.* lib. IV. cap. 5. *edit graec.* Baſil. 1538. Tom. II. pag. 207.) ubi vulgo, typographi forte errore aliquo, legitur: „κατα το πρωτον βιβλιον των εκτος, ὁ Μαρκελλας επιγραφει, „caet." ita corrigere: „κ. το πρ. β. τ. ε. ἁ „Μαρκ. επιγρ. caet."

(*x*) GALEN. *comp. ſec. gen.* lib. I. cap. 22 et 23. *compoſ. ſec. loc.* lib. VIII. cap. 7.

(*y*) ID. *comp. ſec. gen.* lib. I. cap. 22.

(*z*) ID. *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 5 et 6.

quae ipſis ASCLEPIADIS verbis a GALENO recitata ſunt; arida puto pharmaca ad oculos (*a*), liquidas ocularias compoſitiones et cataplaſmata (*b*), et contra aegilopas (*c*).

Collyria ASCLEPIADIS varia nobis occurrunt, ut *medicamentum ad epiphoras oculorum* (*d*), et *aliud* rurſus ad easdem (*e*), *ſphragis* ad palpebras aſperas (*f*), *Malabathrinum* (*g*), *Aerianum* (*h*); ut de aliis multis taceam, quae EIVS ſub nomine vulgo quidem circumferuntur, ipſius vero ASCLEPIADIS non ſunt, neque ab ipſo inventa aut compoſita, ſed repetita tantummodo ab EO, atque laudata (*i*). EIVSDEM *Panaceam* collyrium, HALLERO ex AETIO dictam

(*a*) ID. *ibid.* cap. 6.

(*b*) ID. *ibid.* cap. 7.

(*c*) ID. *ibid.* lib. V. cap. 2. quem quidem locum AETIVS ex SEVERO, ut videtur, repetiit, (lib. VII. cap. 85.) Nihil enim impedit, quo minus ASCLEPIADES atque SEVERVS unus alterius invicem meminiſſe potuerint. Habet eundem locum ACTVARIVS quoque, *Meth. med.* lib. VI. cap. 5. ex ipſo GALENO.

(*d*) GALEN. *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. ex ASCLEPIADE.

(*e*) MARCELL. *Empir.* cap. 8.

(*f*) GALEN. *loc. cit.* (Edit. Opp. lat. Froben. 1549. pag. 578.)

(*g*) ID. *ibid.* unde repetiit ACTVARIVS, (*Meth. med.* lib. VI. cap. 5.) qui male tamen ipſi GALENO auctori tribuit hoc medicamentum.

(*h*) GALEN. *loc. cit.*

(*i*) Qualia multa ſunt apud AETIVM, ut: *Libyanum*; (lib. VII. cap. 105. Conf. GALEN. *compoſ. ſec. loc.* lib. IV. cap. 7. edit. lat. cit. pag. 582.) *Colly-*

dictam (*k*), ego quidem huc uſque, quamvis diligenter quaeſitam, invenire non potui.

ASCLE-

Collyrium ad dolores, fluxiones et ulcera; (AET. *ibid.* GALEN. *loc. cit.* pag. 580.)

Illitio mordax, oculorum fluxionem compeſcens; (AETIVS, lib. VII. cap. 97. conf. GALEN. *l. c.* pag. 576)

Illitio alia ad oculorum dolores; (AETIVS, *ibid.* GALEN *loc. cit.* pag. 576)

Aſter inexſuperabilis; (num *Stella* HALLERI? in *Bibl. chirurg* Tom. I. pag 77. AETIVS, lib VII. cap. 105. Conf. GALEN. *loc. cit.* pag 582)

Collyrium ex cornu cervino; (AETIVS, lib. VII. cap. 112. GALEN. *loc. cit.* pag. 582

Cataplaſma ad maximos oculorum influxus et dolores; (AETIVS, lib. VII. cap. 96. quod quidem caput DIOSCORIDIS prae ſe fert nomen, ita, ut ipſo certe DIOSCORIDIS tempore ASCLEPIADEM noſtrum vixiſſe inde ſuſpiceris, qui tamen huius fuiſſe aetatis non poſſit, cum TITI *Caeſaris* malagma aliquod laudet apud GALENVM, (*compoſ. ſec. gen.* lib VII. cap. 4) Idem praeterea hocce cataplaſma minime diverſum eſſe videtur ab alio quodam HERACLIDIS *Tarentini*, quod ex ASCLEPIADIS libris repetit GALENVS (*comp. ſec. locos*, lib IV. cap 7 edit lat. cit pag. 576.) ut et ad ASCLEPIADEM *Bithynum* referri vix queat. Quae res difficilis nullo fere modo erit umquam explicanda, niſi ratum habere volueris, quod mihi quidem perſuaſum eſt, DIOSCORIDIS verba ibi finita eſſe, ubi incipit Cataplaſma ASCLEPIADIS, i. e. ex libris ASCLEPIADIS ab AETIO deſcriptum.

(k) *Bibl. chirurg.* Tom. I. pag. 77.

ASCLEPIADEM excipit ARCHIGENES, *Apamenſis*, TRAIANO Imperatori (*l*) et IVVENALI (*m*) coaevus, qui ſcripſit libros *pharmacorum ſecundum genus* (*n*), quorum primo egit praeter alia *de affectis oculis* atque *aegilope*, quae quidem loca, una cum aliis multis huc non pertinentibus, apud GALENVM invenias (*o*). Collyria ARCHIGENIS *ad albugines*, et *ad lippitudinem duram, ſiccam et ſcabram*, AETIVS (*p*), *ad oculorum vero claritatem* ORIBASIVS (*q*) recenſet.

CRITONEM, quem ill. HALLERVS (*r*), GALENI auctoritate (*s*) abuſus, ANDROMACHO quidem facit antiquiorem, poſt EVNDEM tamen vixiſſe ex alio quodam GALENI loco (*t*) luculenter adparet. Sub TRAIANO eum floruiſſe, SVIDAS teſtatur (*u*). Imperatoriae domus medicus fuit, et quatuor *de ornatu* libros conſcripſit, quorum primo egit inter alia *de illitionibus*

(*l*) vid SVIDAS, ſub ARCHIGENE.
(*m*) IVVENAL. *Sat.* VI. XIII. et XIV.
(*n*) teſte GALENO, *comp. ſec. loc.* lib. I. cap. 2. et 8. lib. II. cap. 1. lib. III. cap. 1. lib. V. cap. 1 caet.
(*o*) *comp. ſec. loc.* lib. IV. cap. 8. lib. V. cap. 2.
(*p*) lib. VII. cap. 39 et 77.
(*q*) *Synopſ. ad* EVST. lib. III. (in STEPHANI *art. med. princ.* pag. 52.)
(*r*) *Bibl. chirurg* Tom. I. pag. 59.
(*s*) *compoſ. ſec. gen.* lib. V. cap. 4. quem ſcilicet locum male intellexerat vir immortalis.
(*t*) *compoſ. ſec. loc.* lib. VI. cap. 4. fin.
(*u*) SVIDAS, in RVFO.

tionibus oculorum (*v*). — Multa EIVSDEM medicamenta ab auctoribus video laudata, nullum vero, quod curandis oculorum morbis inſerviret.

Sub eodem quoque TRAIANO vixit RVFVS, *Epheſius* (*w*), cuius pauca tantummodo ex pluribus ſcriptis fragmenta ſuperſunt. Nonnulla quidem, a re noſtra non plane aliena, occurrunt in libris EIVSDEM *de adpellatione partium corporis humani* (*x*), et *de medicamentis purgantibus* (*y*). Locum EIVS quemdam, *de glaucomate et ſuffuſione*, habet ORIBASIVS (*z*). Libri *de morbis oculorum* et *de medicamentis popularibus*, a RHAZEO laudati (*a*), quorum ultimus etiam ocularia medicamenta complectebatur, ad noſtram aetatem non pervenerunt.

Cum RVFO coniungendus erit *Poeta antiquus*, cuius exſtat *de viribus herbarum*, *Deo alicui conſecratarum* (*b*), libellus, et quem eundem eſſe cum RVFO, de quo diximus, quidam coniiciunt. „Sed quicunque demum ſit auctor, inquit FABRICIVS, ethnicum ſe et bene „anti-

(*v*) GALEN. *compoſ. ſec. loc.* lib. I. cap. 3.
(*w*) SVIDAS, *l. cit.*
(*x*) in STEPHANI *art. med. princ.* pag. 102. 107. 112. 115. ſeq.
(*y*) *ibid.* pag. 125.
(*z*) *Synopſ. ad* EVST. lib. III. (in STEPHANI *art. med princ.* pag. 130)
(*a*) Teſte HALLERO, in *Bibl. chirurg.* Tom. I. pag. 78
(*b*) Vid. FABRICII *Bibl. Graeca*, lib. III. cap. 26. nr. 9. ſeqq.

„antiquum prodit.” — Integri iſtius libelli duo tantummodo loca huc ſpectant, ubi *pentadactylum* atque περιστερεωνα, ad dolores expellendos et acuendam aciem oculorum, corpori iubet alligari.

§. 32.

Citati a Galeno.

Iam, per longum aliquod et inane temporis ſpatium, a TRAIANO Imperatori coaevis ad GALENVM praecipiti gradu transgredi cogimur. LEONIDAM nempe atque ANTYLLVM, quos hic loci collocat HALLERVS (*c*), inferioris aetatis fuiſſe putes, quippe quorum GALENVS in librorum ſuorum aliquo, eo que non ſpurio, nullibi meminerit.

Itaque ex multorum numero, quos ab ipſo GALENO laudatos videmus, eos hic ſeligimus, qui medicinae oculariae ſua aliqua monumenta reliquerunt.

MNASAEVS, ſive MNASEVS (*d*), idem fuerit, quem pleno nomine PHILVMENVM (*e*) MNASEVM, vel PHILVMENVM (*f*) ſimpliciter, dictum invenias. EIVSDEM ſcripta aliqua

(*c*) *Bibl chirurg.* Tom. I. pag. 79. ſeqq.

(*d*) GALEN *compoſ. ſec. loc.* lib. III. cap. 2. *compoſ. ſec. gen.* lib. VII. cap. 2. caet.

(*e*) ORIBAS. *Syn. ad* EVST. lib. III. (in STEPHANI *art. med princ.* pag. 45.)

(*f*) ID. *loc. cit.* (pag. 49.)

qua memorantur ab ORIBASIO (*g*), quorum varia AETIVS quoque loca deſcripſit, ut *de oculorum obſcuratione* (*h*). Collyrium *tenerum Libyanum* ſub PHILVMENI nomine apud EVNDEM occurrit (*i*), non quod ipſe invenerit Noſter, ſed quod, paullo mutatum forte, ex libris EIVS ſit ibi repetitum. EIVSDEM *purgans medicamentum ad oculos*, diuturna fluxione oppreſſos, habet ORIBASIVS (*k*).

MAGNI cuiusdam collyrium, *aſter* vocatum, eſt apud PAVLVM *Aeginetam* (*l*), et AETIVM (*m*). Plures eius nominis viros GALENVS profert, ita, vt vix eos queas diſtinguere. HALLERVS quidem *Tarſenſem* (*n*), FABRICIVS (*o*) *Archiatrum* illum, coaevum GALENO, noſtrum fuiſſe arbitrantur.

IVSTVS denique, ocularius, qui GALENI aetate floruit, ob ſingularem aliquem modum, quo hypopion ſanare inſtituerat, huc referendus eſt

(*g*) *locis cit.*

(*h*) lib. V. cap. 123.

(*i*) AETIVS lib. VII. cap. 105. ex ORIBASIO, ut videtur. Conf. ASCLEPIADES apud GALEN. *comp. ſec. loc* lib. IV. cap 7 (edit lat. Froben. 1549 pag 582. B. „*Aliud Libyanum*" caet.

(*k*) *Collect. medic.* lib. VIII. cap. 45.

(*l*) lib. VII. cap. 16.

(*m*) lib. VII. cap. 105.

(*n*) *Bibl. chirurg.* Tom. I. pap. 59.

(*o*) *Bibl. gr.* Vol. XIII. pag. 313 „MAGNVS quispiam (Philadelphienſis opinor) caet."

eſt. Aegros nempe rectos collocavit in ſella, et capita eorum, utrinque manu comprehenſa, quatiebat et concutiebat, uſque dum pus ſubſideret. Cuius rei teſtem habeo ipſum GALENVM, quippe qui lepidae huic operationi ſe ipſum interfuiſſe adfirmat (*p*). — Num idem IVSTVS, ad quem ſcriptus liber *de partibus artis medicae* inter ſpuria GALENI exſtat? Num idem, cuius medicamentum purgans et hieram a variis auctoribus (*q*) celebrata invenio? FABRICIO certe non placet, qui alium ab his fuiſſe putat (*r*) ocularium noſtrum.

§. 33.

C. Galenus.

Poſt hos tandem, in extrema fere libelli parte, inſignem ſibi poſcit locum CLAVDIVS GALENVS, *Pergamenus*, qui, ut in caeteris medicae artis

(*p*) GALEN. *meth. medendi*, lib. XIV. in fine. Quem locum videas repetitum a PAVLO *Aegineta* (lib. VI. cap. 20.) et ab AETIO, (lib. VII. cap. 28.).

Confer ſis ANTOINE *Tractat von den Augenkrankheiten*, überſ. von *J. Timme*, Brem. 1731. 8. pag. 573.

(*q*) ORIBAS. *med. collect.* lib. VIII. cap. 47. PAVL. *Aegin.* lib. VII. cap. 8. AETIVS, lib. III. cap. 116.

(*r*) *Bibl. Gr.* Vol. XIII. pag. 306.

artis partibus inter omnes eminuit, ita oculorum quoque morbis ſanandis fuit clariſſimus, quippe a quo multi ex Iberia, Celtica, Aſia, Thracia, atque aliis regionibus, conſilia petere conſueverint (*s*), et curatam eſſe legas ophthalmiam, quam alius probatiſſimus quidam medicus ocularius ſanare non poſſet (*t*). Deinde in tot EIVSDEM voluminibus innumera fere loca ſunt, ubi vel ſingillatim unumquodque medicinae oculariae argumentum perſequitur, vel leviter tantummodo hoc ſive illud attingit, aut caſu quodam in eorum mentionem incidit. Quae ſi omnia in margine hic indicare vellem, ad ingentem molem libellus increſceret. Itaque alio tempore, ubi per ſingula artis oculariae capita ſingulorum etiam virorum ſententiae fuſius erunt exponendae, quemlibet locum, ſuo ſub titulo comprehenſum, explicabo, ne remotiſſimum quidem neglecturus, modo ut aliqua ſaltim ex parte res noſtra illuſtrari inde queat.

Neque tamen omnes GALENI libros ſilentio ſic praeteriiſſe fas fuerit, cum nonnulli eorum huc pertineant integri. Etenim ut taceam eos, in quibus de viſu aut oculorum anatome differuit (*u*), alii quoque ſunt, qui ipſos oculorum

(*s*) GALEN. *de loc. affect.* lib. IV. cap. 2.
(*t*) ID. in HIPPOCRATIS *Aphoriſm.* Comment. VI. aphor. 31
(*u*) Qui ſunt liber *decimus de uſu partium*, et *Anatomicarum adminiſtrationum* itidem *decimus*, ſed deperditus, de quo vid. GALEN. *de libris propriis*, cap. 3.

rum morbos complectuntur. Qualis eſt liber QUARTUS *de compoſitionibus medicamentorum ſecundum locos*, quo GALENVS, de morbis et medicamentis ocularriis generaliora quaedam ipſe praefatus, ea, quae ante illum ASCLEPIADES atque ARCHIGENES ſedulo collegerant, variorum auctorum collyria omnia repetiit. Reliquam huius argumenti partem, quae de ſugillatione ſub oculis et aegilope ſupererat, prioribus duobus libri QVINTI capitibus abſolvit, ita, ut curandorum eorumdem methodo ſummatim ante expoſita, ſingulas deinde compoſitiones ex ARCHIGENE, APOLLONIO, CRITONE et ASCLEPIADE recenſeat.

Spurius *de anatomia oculorum* libellus nonnulla ſimul habet de morbis, haſce humani corporis partes invadentibus. Conferatur de eo FABRICIVS (*v*).

Alius quidam liber GALENO adſcriptus, *de oculis*, qui totam fere doctrinam ocularium continet ab Anatomia inde, uſque ad Therapiam, adeo non eſt GALENI, ut et ipſe hic ſcriptor ibi laudetur, una cum PAVLO atque ORIBASIO, imo collyrii *Sabor* mentionem eſſe factam invenias.

De cognoſcendis oculorum morbis librum compoſuit, adoleſcenti cuidam, oculos curanti, deſti-

(*v*) *Bibl. Gr.* lib. IV. cap. 17. XXI.

deſtinatum (*w*), qui hodie tamen non exſtat. GALENI *de morbis oculorum* codicem eſſe in Bibliotheca Regia Pariſienſi, HALLERVS teſtatur (*x*).

ILLIVS denique nobis reſtat *aridum medicamentum* ad oculos, quod ſummis ipſe effert laudibus, et per omnes fere gentes, quibus imperabant Romani, in uſu fuiſſe indicat (*y*).

Alterum aliquod GALENI collyrium, quo uſus ſit Leucus paſtor, HALLERVS quidem ex ACTVARIO recitat (*z*), ego tamen fruſtra in voluminibus EIVSDEM quaeſivi.

§. 34.

Q. Serenus Sammonicus. Alexander Aphrodiſeus.

Coaevus GALENO fuit, et ſuperſtes, QUINTVS SERENVS SAMMONICVS, auctor carminis cuiusdam, quod *de medicina* inſcripſit.

 Plura

(*w*) GALEN. *de libr. propr.* cap. 2. et *de locis affectis* lib. IV. cap. 2. Conf FABRICIVS in *Bibl. Gr.* lib. IV. cap. 17. XXII.

(*x*) *Bibl. chirurg.* Tom. I. pag. 90.

(*y*) *Compoſ. ſec. loc.* lib. IV. cap. 5. unde repetiit AETIVS, lib VII. cap. 98.

(*z*) *Bibl. chirurg.* Tom. I. pag. 92.

Plura inde loca huc pertinent, quae tamen omnia binis tantummodo capitibus, XIII ſcilicet et XXXV, incluſa continentur. Caeterum in toto iſto libello multa occurrunt medicamenta, quae non ipſe expertus, ſed duce atque auctore PLINIO, SERENVS laudaſſe videtur.

Eiusdem fere aetatis ALEXANDER eſt *Aphrodiſeus*, philoſophus, cuius ſub nomine exſtant *Problematum medicorum et naturalium* libr. duo, ex quibus nonnulla rei ſunt noſtrae coniunctiora, quam ut in margine ſolos ſaltim titulos eorum indicare nequeam (*a*).

§. 35.

Geoponici quidam.

Itaque cum ſummam promiſſi mei, quantum quidem habui polliceri, nunc compleverim, finem libello meo hic conſtituere moneor. Nam et lectorum ſatietati occurrendum, et ipſi mihi aliquid otii parandum eſt, quo ſubauſcultare poſſim, quid de parvo hocce opuſculo iudicent viri doctiores, utrum pergere me iubeant, an malint tacere? Cum *Geoponicis* igitur ſermonem concludere non dubitabo. FLORENTINVS enim, cuius loca quaedam in *libris* reperiuntur *Geopo-*

(*a*) Lib. I. 35. (39.) 59. 60. 68. (69.) 74. 79. 114. 143. Lib. II. 36. (37.) 42.

Geoponicorum (*b*), a CASSIANO BASSO ſub ſaeculi decimi initium collectis, a SERENO videbatur apte ſeiungi non poſſe, utpote qui, aliquot annis poſt illius mortem, ſub MACRINO forte Imperatore floruerit (*c*).

Idoneos denique comites ipſi praebere liceat, quorum nomina quidem et monumenta nonnulla idem nobis CASSIANVS ſervavit, de quorum vero aetate fruſtra adhuc diſceptatur. Sunt autem hi:

DIDYMVS, *Alexandrinus*, de quo vid. GEOPON. edit. *Niclaſ. Proleg.* pag. LVI. ſeq.
EIVSDEM huc pertinet locus GEOPON. lib. XI. cap. 18. (pag. 819 et 821.)

LEONTINVS.
GEOPON. lib. XII. cap. 33. (pag. 920.)

PAXAMVS.
GEOPON. lib. XII. cap. 17. (pag. 877.) et lib. XIV. cap. 17. (pag. 1010.)

SOTION, de quo conf. GEOPON. *Proleg.* pag. LXXI.
Quendam EIVS locum in GEOPONICIS inveneris, lib. XII. cap. 29. (pag. 912.)

ZOROA-

(*b*) lib. XII. cap. 13 et 25.

(*c*) GEOPON. edit. *Niclaſ.* Proleg. pag. LVIII.

ZOROASTRES.

GEOPON. lib. I. cap. 12. (pag. 50. 51. 57.) lib. XI. cap. 18. (pag. 820.) ubi caveas tamen, ne a DIDYMO ipſum citari putes (*d*).

ANONYMVS quidam.

GEOPON. lib. XII. cap. 31. (pag. 918.) et cap. 34. (pag. 920.) Niſi ipſe forte is fuerit CASSIANVS BASSVS, qui, dum variorum auctorum praecepta colligeret, de ſuis quoque nonnulla ſaepius addidit (*e*). Sed tunc rectius eum hic omittere debebam, quippe qui ineunte decimo demum ſaeculo vixerit (*f*).

(*d*) Vid. GEOPON. *Proleg.* pag. XXXVII. et XLIII. caet.

(*e*) *ibid.* pag. XLIII.

(*f*) *ibid.* pag. XXXVII. 18. et pag. 6. not.

VIRO

VENERABILI ATQUE ILLUSTRISSIMO

DOMINO

LEVINO FRIDERICO

L. B. A MARENHOLTZ

DYNASTAE

IN DIECKHORST GERSTENBUTTEL MARENHOLTZ FLETTMAR ET HELBRA

STATUUM PROVINCIALIUM

IN DUCATU LUNEBURGICO

DIRECTORI

ABBATI AC DOMNO DE DOMO SANCTI MICHAELIS

AUGUSTISSIMO

MAGNAE BRITANNIAE REGI

AC

PRINCIPI ELECTORI BRUNSVICO-LUNEBURGICO

SUPREMO STABULI PREFECTO

ITEM QUE

CUBICULARIO

ACADEMIAE EQUESTRIS LUNEBURGENSIS

PATRONO PRAECIPUO

MAECENATI

INDULGENTISSIMO

NEC NON

VIRIS PERILLUSTRIBUS

AC GENEROSISSIMIS

STATUUM

PROVINCIAE LUNEBURGICAE

CONSILIARIIS SPLENDIDISSIMIS

DOMINO

CHRISTIANO AUGUSTO

A WENSE

DYNASTAE

IN ELDINGEN ET EICKLINGEN

DOMINO

GEORGIO ERNESTO

AB HOHNHORST

DYNASTAE

IN HOHNHORST

SUPREMO AULAE MAGISTRO

DOMINO

ERNESTO CHRIST. FRIDER.

A STAFFHORST

DYNASTAE

IN HERMANSBURG ET HOYA

REGIO CUBICULARIO

DOMINO
THEODORO WERNERO
AB HARLING
DYNASTAE
IN EVERSEN ET WOHLENDORF
IUDICII AULICI CELLENSIS
PRAESIDI
DOMINO
ALEX. OTTONI ERNESTO
A PLATO
DYNASTAE
IN GRABAU
DOMINO
FRIDERICO ERNESTO
A BULOW
DYNASTAE
IN ESSENRODE ET BEYER-NAUNBURG
DOMINO
CAROLO LEVINO OTTONI
A LENTHE
DYNASTAE
IN LENTHE ET WRESTEDT

DOMINO

FRID. AUGUSTO OTTONI

A BEHR

DYNASTAE

IN STELLICHTE

ITEM QUE

VIRO PERILLUSTRI

AC GENEROSISSIMO

GEORGIO WILHELMO

AB HODENBERG

DYNASTAE

IN HUDEMUHLEN

ACADEMIAE EQUESTRIS

QUAE LUNEBURGI CONSTITUTA EST

CURATORI SECUNDO

DOMINIS AC PATRONIS

GRATIOSISSIMIS

LEVEM HANC OPELLAM

DEMISSE CONSECRAT

COLLATORUM IN SE BENEFICIORUM MEMORIAM

GRATISSIMA MENTE RECOLENS

ET HO SE QUE

EORUM TUTELAE EXOPTATISSIMAE

COMMITTIT

DEMISSISSIMUS ET OPSEQUENTISSIMUS CLIENS

IOANNES HENRICUS IUGLER

LUNEBURGENSIS.

EMENDANDA.

Prooem. pag. III. *lin. ult.* leg. *tanquam.*
pag. 12. *not.* (*f*). *lin. penult.* leg. *ſemper.*
— 14. — (*m*). leg. *cap. I.*
— 16. *lin.* 19. leg. *atque.*
— 17. — 7. — *verbis, quae.*
— 18. — 1. — *ocularium.*
— — — *ult.* — τῇδε.
— 24. — 4. — ἰατρῶν διὰ.
— 26. *not.* (*uu*). *lin.* 5. leg. *deſcripſit.*
— 27. *lin.* 12. leg. συντρίψαι.
— — — *ult.* — τῷ.
— *not.* (*ff*). — ἐπιχειρεῖσαι.
— 28. *lin.* 19. — *quale erat.*
— 29. — 6. — *ſupra dictum.*
— 38. — 10. — *quidem.*
— 40. — 14. — *collyrium, adiecta.*
— 49. — 12. — KESTNERVS.
— 50. — 9. — *diligenter.*
— 52. *not.* (*v*). *fin.* add. AETIVS, lib. VII. cap. III.
— 76. *not.* (*mm*). *lin.* 4. leg. 1538.
— 81. *lin.* 19. leg. *Theophilus.*
— 82. — 13. — *collocat.*
— — *not.* (*ee*). *lin.* 9. leg. *error.*
— 86. *lin.* 13. leg. *commendat.*
— 87. — 5. — *trichiaſi.*
— 93. — 1. — *huc.*